

University of Kentucky

UKnowledge

Theses and Dissertations--Modern and
Classical Languages, Literature and Cultures

Modern and Classical Languages, Literature
and Cultures

2024

DE HISTORIA LINGUAE LATINAE IN COLUMBIA

Esteban Arango Casas

University of Kentucky, estebanarangoc91@gmail.com

Author ORCID Identifier:

<https://orcid.org/0009-0007-5220-0417>

Digital Object Identifier: <https://doi.org/10.13023/etd.2024.256>

[Right click to open a feedback form in a new tab to let us know how this document benefits you.](#)

Recommended Citation

Arango Casas, Esteban, "DE HISTORIA LINGUAE LATINAE IN COLUMBIA" (2024). *Theses and Dissertations--Modern and Classical Languages, Literature and Cultures*. 12.

https://uknowledge.uky.edu/mcllc_etds/12

This Master's Thesis is brought to you for free and open access by the Modern and Classical Languages, Literature and Cultures at UKnowledge. It has been accepted for inclusion in Theses and Dissertations--Modern and Classical Languages, Literature and Cultures by an authorized administrator of UKnowledge. For more information, please contact UKnowledge@lsv.uky.edu, rs_kbnotifs-acl@uky.edu.

STUDENT AGREEMENT:

I represent that my thesis or dissertation and abstract are my original work. Proper attribution has been given to all outside sources. I understand that I am solely responsible for obtaining any needed copyright permissions. I have obtained needed written permission statement(s) from the owner(s) of each third-party copyrighted matter to be included in my work, allowing electronic distribution (if such use is not permitted by the fair use doctrine) which will be submitted to UKnowledge as Additional File.

I hereby grant to The University of Kentucky and its agents the irrevocable, non-exclusive, and royalty-free license to archive and make accessible my work in whole or in part in all forms of media, now or hereafter known. I agree that the document mentioned above may be made available immediately for worldwide access unless an embargo applies.

I retain all other ownership rights to the copyright of my work. I also retain the right to use in future works (such as articles or books) all or part of my work. I understand that I am free to register the copyright to my work.

REVIEW, APPROVAL AND ACCEPTANCE

The document mentioned above has been reviewed and accepted by the student's advisor, on behalf of the advisory committee, and by the Director of Graduate Studies (DGS), on behalf of the program; we verify that this is the final, approved version of the student's thesis including all changes required by the advisory committee. The undersigned agree to abide by the statements above.

Esteban Arango Casas, Student

Dr. Milena Minkova, Major Professor

Dr. Milena Minkova, Director of Graduate Studies

DE HISTORIA LINGUAE LATINAE IN COLUMBIA

THESIS

A thesis submitted in partial fulfillment of the
requirements for the degree of Master of Classics in the
College of Arts and Sciences
at the University of Kentucky

By

Esteban Arango Casas

Lexington, Kentucky

Co- Directors: Dr. Milena Minkova, Professor of Classics
and Dr. Leni Ribeiro Leite, Associate Professor of Classics

Lexington, Kentucky

2024

Copyright © Esteban Arango Casas 2024
<https://orcid.org/0009-0007-5220-0417>

ABSTRACT OF THESIS

DE HISTORIA LINGVAE LATINAE IN COLUMBIA

Abstract: Latin was the official language of ancient Rome, and consequently it saw its rise and fall. Nevertheless, it did not disappear after the Roman Empire fell. Latin continued thriving during the Middle Ages and the Renaissance, but it did not stay only in Europe. It went overseas and reached other continents like Asia, Africa, and finally America. Unfortunately, there were opinions that Latin in the Americas was of a lesser quality. For that reason, we thought important to show some of the most skillful Latin writers in Colombia. We selected three authors who were born in Colombia or who wrote about some experience they had in the country. They are Juan Martínez de Ripalda, Andrés de San Nicolás, and Mariano del Campo Larraondo y Valencia. Their works show the great array of subjects and styles that authors from the XVII and XVIII centuries dealt with in their Latin writings. These writings are related to education, philosophy, theology, and the aboriginal peoples of Colombia. Through them, we hope to prove wrong those who deemed Latin in South America as an inferior literary product. Moreover, we want to map out the possible research lines that are to be explored in the future.

KEYWORDS: Colombian Latin, South America, Humanist Education, Renaissance, Latin Prose Style, Jesuits.

Esteban Arango Casas

(Name of Student)

04/25/2024

Date

DE HISTORIA LINGUAE LATINAE IN COLUMBIA

By
Esteban Arango Casas

Dr. Milena Minkova
Co-Director of Thesis

Dr. Leni Ribeiro Leite
Co-Director of Thesis

Dr. Milena Minkova
Director of Graduate Studies

04/24/2024

Date

Omnia cuiuscumque ego hic momenti scripsi aviae
Rosae dico. Illa vere cum virtute tum sapientia
Omnium hominum maxima fuit.

GRATIAE AGENDAE

In primis velim hic gratias agere Doctricibus Milenae Minkova et Leniae Ribeiro Leite quae doctrina, sapientia necnon virtute fretae viam expeditam per quam currens studia mea deducere ad felicem terminum possem mihi ostenderunt. Hac de causa mihi maximi momenti videtur hic fateri me sine eis vix quicquam conficere potuisse, nam neque doctrina neque virtute hominibus antecedo. Quare quodcumque hic boni inveniatur, Doctricibus debeo; quae autem mala aliquis reperiat, sciat me unicum menda commisisse. Doctrix quidem Minkova non tantum mihi suasit ut in studia Latinitatis Americae Meridianae incumberem, verum etiam omnia quae ego hic scripsi ipsa diligenter et perite emendavit. Neque licet hic Doctricis Ribeiro oblivisci, cum ipsa decursu investigationis mihi omnem materiam suppeditaverit qua mihi opus esset ut investigationem de Latinitate in America aggrederer et bene perficerem. Ceterum quoque velim gratias agere Magistris linguae Graecae, i.e. Doctoribus Valerio Caldesi Valeri et Iacobo Brusuelas necnon ceteris magistris facultatis, i.e. Doctrici Laurae Manning et Doctori Terentio Tunberg, nam monita eorum semper mihi quam maxime profuerunt.

De cetero, nolo praeterire opportunitatem laudandae amitae quae me quasi filium domi suscepit et patris cuius patientiam incogitantia et levitate animi nonnumquam exercui et qui monitis et caritate mihi auxilio semper fuit. Hic quoque locus est ut memorem eos qui in Columbia aliquid me de Latinitate docuerunt aut qui humanissimos erga studia mea classica se praebuerunt.

TABLE OF CONTENTS

GRATIAE AGENDAE	iii
PRAEFATIO	1
<i>De Latinitate in Columbia</i>	<i>1</i>
<i>Ratio</i>	<i>1</i>
<i>Scopus.....</i>	<i>4</i>
<i>Methodus.....</i>	<i>6</i>
CAPUT PRIMUM: DE UNIVERSITATIBUS NOVI REGNI.....	10
<i>De vita Ioannis Martínez de Ripalda.....</i>	<i>10</i>
<i>De editione textus.....</i>	<i>13</i>
<i>Fragmentum</i>	<i>14</i>
<i>Commentarius</i>	<i>20</i>
CAPUT ALTERUM: DE ABORIGINIBUS IN SCRIPTIS LATINIS NOVI REGNI.....	40
<i>De vita Andreae De Sancti Nicolai</i>	<i>40</i>
<i>De operibus.....</i>	<i>44</i>
<i>Proventus messis Dominicae Excalceatorum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini. Congregationis Hispaniae labore perceptus (1656).....</i>	<i>52</i>
<i>De editione textus.....</i>	<i>55</i>
<i>Fragmentum</i>	<i>56</i>
<i>Commentarius</i>	<i>62</i>
CAPUT TERTIUM: DE ORATIONIBUS LATINIS IN UNIVERSITATE	73
<i>De vita Mariani de Campo Larraondi et Valentiae</i>	<i>73</i>
<i>Opera</i>	<i>76</i>
<i>De editione textus.....</i>	<i>81</i>
<i>Fragmentum</i>	<i>82</i>
<i>Commentarius</i>	<i>90</i>
CONCLUSIO	98
BIBLIOGRAPHIA.....	107
VITA	114

PRAEFATIO

De Latinitate in Columbia

Ratio

Nonnulla sunt adhuc dicenda de operibus Latine scriptis, non tantum vero de auctoribus antiquitatis quibus nimirum non desunt docti qui eis velint studere neque deerunt; nemo enim umquam erit qui audeat infitias ire et Vergilium et Ciceronem quam maxime dignos esse studio auctores. Hic ergo orationem velimus habere ubi praeter viros quidem antiquitatis, nobis quoque sit opportunitas loquendi de iis auctoribus qui, licet Latine scripserint, alio tempore floruerunt. Quare, cum nobis sit in votis describere Latinitatem quae floruit in America Meridionali praesertim in Columbia, de particulis ergo omnium aetatum i.e. ex antiquitate usque ad Renascentiam, hic in opusculo necesse erit paulatim et intercise recensere; nam auctores Americani praecepta ex auctoribus omnium aetatum et praesertim ex antiquis hauserunt ut latinitatem suam informarent et corroborarent.

In opere suo *De Linguae Latinae Elegantia*, Laurentius Valla asseruit linguam Latinam habere indolem satis particularem quod, quamvis una esset et a Roma originem duxisset, tamen ex illa tam in antiquitate quam aetatibus insequentibus homines omnis orbis terrarum didicerunt quid sit cum arte scribere. Quare, ut argumenta sua probaret, comparisonem inter ducem strenuum, qui Rem Publicam virtute sua locupletavisset ac fines patriae latiores effecisset, et linguam Latinam quae, bello latius serpente freta, non patriam ullam sed totum genus humanum ditavit, finxit, nam, ex multiplicibus particulis patriam unam effecit et nonnullos homines, qui per orbem terrarum sparsi erant, sinu suo

fovit et illic tamquam filios, qui inter se nihil nisi usum latinitatis commune habebant, innutrivit. Quamobrem Valla scripsit: *Nostra est Italia, nostra Gallia, nostra Hispania, Germania, Pannonia, Dalmatia, Illyricum, multaque aliae nationes. Ibi namque Romanum imperium est, ubicunque Romana lingua dominatur. Eant igitur nunc Graeci, & linguarum copia se iacent*¹. Et iure Valla ausus est talia dicere quia, quamquam in indice suo ipse non nisi de regionibus intra fines Europae locutus est, addita locutione *multaque aliae nationes*, nobis licet conicere et Africam et Asiam inter has numerari posse; nam, quamquam procul a Roma et Europa sitae sunt, hae regiones auctores summi momenti ut Augustinum, Apuleium et ipsum Terentium, a quo, ut fertur, et ipse Cicero loqui didicit, decursu saeculorum genuerunt. Et haud secus quam supradictum est de Vergilio et Cicerone, nemo erit qui audeat effutire hos non esse habendos, quamvis exteri et alieni sint, inter optimos auctores Latinos, non tantum antiquitatis, immo vero omnium aetatum, cum nonnulli, ut vidimus, Romani fassi sint se litteras apud eos didicisse.

Valla autem diem supremum obiit paulo ante quam America anno 1492 reperta est a Christophoro Columbo. Propterea quod, etiamsi sub fine huius sententiae fere legere liceat multas alias terras fuisse quae Latinitatis causa pro provinciis Imperii Romani haberi potuerint, pro certo habere non possumus utrum Valla, si res aliter cesserent, Americam meridiionalem et omnes has regiones, quae tum sub ditione Coronae Hispanorum erant, inter haec nomina, quorum mentionem in indice suo fecit, numeraturus fuerit. Possumus tamen conicere quid dicturus fuerit si animum ad has rationes de quibus locuti sumus in

¹ Laurentius Valla, "Praefatio", in *De Linguae Latinae Elegantia Libri sex. eiusdem de Reciprocatione Sui, & Suus, libellus adprime utilis. Dialogos eiusdem, Antidotos, Recriminationes, et alia quaedam ad linguam Latinam spectantia, seorsim excudimus*, (Lugdunum: Seb. Gryphium, 1538), 6-7.

paragrapho superiore advertimus. Nihilominus, quamvis res tam perspicue patuissent, fuerunt viri nonnulli asserentes viros extra Europam genitos ingenii hebetioris causa minime valere litteras colere. Inter hos qui huius modi ausi sint cogitare omnium praeclarissimus fuit vir Alonensis nomine Emmanuel Martí qui tum temporis munere decani Lucenti fungebatur. Martí ille auctor fuit epistolae qua Creolos imperitiae accusavit. Hac in epistula, ipse Martí conatus est deterrere quendam iuvenem, cui in animo erat in Americam tum transire ut studia sua perficeret, quominus illuc iter faceret:

Quo te vertes apud Indos in tam vasta literarum solitudine? Quem adibis non dicam magistrum, cujus praeceptis instituaris, sed auditorem? non dicam aliquid scientem, sed scire cupientem. Dicam enucleatius a litteris non abhorrentem? Ecquosnam evolves codices? Ecquas lustrabis Bibliothecas? Haec enim omnia tam frustra quaeres, quam qui tondet asinum, vel mulget hircum. Eugepae! Abiice has nugas, atque eo iter converte, ubi & a nimum excolere queas, & honestum vitae subsidium tibi parare, & novos honores capessere².

Quare, haud aliter atque viri docti Mexici opuscula nonnulla scripserunt ut concinnitate et vi sui ingenii argumenta Emmanuelis et eorum, qui sicut ille parvi pendebant facultates hominum in America natorum, refutarent, nobis in mentem venit parvum florilegium auctorum quidem Columbianorum informare quo facilius possemus demonstrare semper exstitisse bibliothecas codicibus confertissimas; homines quam maxime doctos qui ab adventu Hispanorum sine intercapedine usque ad dies hodiernos

² Andrew Laird, “33 Colonial Spanish America and Brazil,” in *The Oxford Handbook of Neo-Latin*, eds. Sarah Knight, and Stefan Tilg (New York: Oxford University Press, 2015), 533.

linguam Latinam colerent³; et copiam operum quae, etiamsi in comparatione Europae exigua esset, satis magna esset ut, si aliquando discipuli egestate ceterarum rerum premerentur, semper eis liceret per semet operam litteris dare. Sic omnibus ubicumque terrarum patebit linguam Latinam non tantum litteras Novi Regni locupletavisse, sed quoque universitates, collegia, studia et, ut summatim dicam, institutionem puerorum, qui postea gesturi essent Rempublicam, informavisse.

Scopus

Investigationi quam hic aggrediemur, quamvis parvae, tres scopi sunt. Primum omnium velimus freti operibus selectis, inquirere quid scriptum sit intra fines Columbiae oratione soluta, nam, cum constet ipsam patriam vates tamquam Carum, i.e. quorum fama per totum orbem terrarum percrebuerit, semper habuisse, adhuc nonnulla sunt dicenda de iis auctoribus qui soluta oratione aliquid scripserunt. Sic multa dicenda adhuc exstant, cum pauca, quae iam dicta sunt, saepius pertineant ad carmina, et haec, quae oratione soluta confecta sint, ablegentur. In mentem igitur venit seligere auctores cuius opera maximi momenti nobis visa sunt, cum ob argumenta quae illic exposita tum ob concinnitatem stili quo ipsi imbuti valuerunt documenta effingere quae, licet sempiterna, iniuria temporis conata est abolere. Pauci enim sunt etiam inter litteratos qui sciant Michaellem Antonium

³ Inter responsa auctorum Mexicanorum possunt hic numerari ea Dissertatio Ludicro-seria “Num possit aliquis extra Italiam natus bene latine scribere, contra quam Robertus pronuntiat?” (1780) a Diego José Abad scripta; Oratio Apologética (1745) a Juan Gregorio de Campos y Martínez; Bibliotheca Mexicana (1755) et *Anteloquia* a Juan José de Eguiara y Eguren. Illic inveni *Aprilis Dialogum* a Vicente López scriptum in quo quoque est mentio epistulae a Martí conscriptae.

Carum aliquid Latine sermone soluto scripsisse, nam non multum abest quin, quaecumque auctores Columbiae sermone soluto confecerint, ex memoria hominum prorsus excidant.

Hac de causa nobis scopus alter est excitare alios investigatores litterarum classicarum quibus in votis sit latinitati recentiori in America operam dare. Nam, ut mox innotescet, innumera sunt opera ab Americanis tum scripta quae adhuc manent inclusa in tabulariis et bibliothecis huius regionis. Haec opera adhuc exspectant adventum hominum facultatibus quidem necessariis praeditorum qui ea interpretentur et dein litteris electronicis mandent. Ars typographica in Columbiam sero pervenit quare omnia quae tum et collegiis et universitatibus exarabantur manent in pugillaribus manu scriptis. Opus ergo est eis qui velint omnia haec ex bibliothecis depromere duas facultates habere, i.e. et Latine et palaeographiam scire. In Columbia homines adhuc possunt discere linguam Latinam in universitatibus ubi aliquid pertinens ad artes liberales doceatur, et praesertim in scholis quae ad philosophiam attineant. Sed quantum in palaeographia est, res aliter se habet, nam haec est ars quae non, nisi raro, praebeatur extra conclave Historiae. Et velimus nolimus multi viri quidem historici solent studia quae ad Europam pertineant arcere. Hac de causa simultates et disceptationes nonnumquam extiterunt inter viros historicos et homines qui in studium rerum Europae incubuerint. Hic nobis in animo est ambos ordines a provinciis in quibus alter ab altero prorsus semoti manent evocare et inter ambos pontem exstruere cum aperte pateat quam magni momenti sit ut ambo in amicitiam redeant. Scimus enim fore ut concordia ordinum maxime patriae prosit.

Denique, ut iam ab exordio dixeramus, conabimur recensione auctorum quidem Columbianorum, quam hic faciemus, refutare et redarguere argumenta quae Emmanuel Martí et ei similes contra viros natos in America finxerunt ut demonstramus utrum, praeter

testimonium historicum, hi textus alicuius pretii sint necne. Scimus fore ut fragmenta selecta praebeant magnam occasionem delectamenti Latinistis iunioribus Americae meridionalis qui, incepto latinitatis studio, semper habituri gregem hominum coram se quorum operibus excitentur ne, quodcumque a difficultatibus, quae his in studiis exstant, impediuntur, libros procul a se proiciant et a proposito dignissimo desistant.

Methodus

Antequam aliquid scribere coepissemus, nobis primum curae fuit recensere historiam de latinitate in Columbia ab adventu Hispanorum usque ad dies nostros. Quare, ut scopum attingeremus, quam maxime utile fuit lectio operis cuius fama late diffusa est nomine *La historia del Latín en Colombia* a Rivas Sacconi scriptum. Opere pluries perlecto primum auctorum cum soluta tum adstricta oratione scribentium delectum effecimus. Principio indicem in quo plus decem auctoribus numerari poterant confecimus, sed ob magnitudinem materiae quidem tractandae et exiguitatem temporis quo praediti eramus, praetulimus tantum tres seligere quo expeditius possemus singula fragmenta a nobis selecta inspicere et ad libitum tractare. Nihilominus, adhuc incertum nobis erat utrum melius esset carmina an orationem solutam in opusculo tractare, sed nobis considerantibus virum nomine Manuel Briceño Jaúregui opusculum de carminibus Latinis in Columbia scriptis in lucem iam edidisse, maioris momenti nobis visum est aliquid de operibus oratione soluta scriptis exarare.

Auctores selegimus ratione habita anni quo quisque eorum natus erat et eodem modo eos ex ordine redegimus ut lectoribus pateret quomodo decursu annorum viri docti usi essent lingua Latina. Indice ergo auctorum peracto, in animo fuit eligere fragmenta

operum quae tractaturi eramus. Curae nobis fuit cavere ne omnia fragmenta ad eandem rem pertinerent sed, sicut mox perspicuum erit, ut varietas perhiberet testimonium generum quae viri coluerunt. Sic in primis libuit virum nomine Ioannem Martínez de Ripalda adhibere qui, licet natus esset in Hispania, opus nomine DE USU & ABUSU DOCTRINAE DIVI THOMAE, PRO XAVERIANA ACADEMIA COLLEGII SANCTAEFIDENSIS in Novo Regno Granatensi, &c tum maximi momenti ad administrationem universitatum Novi Regni edidit. Huius operis materies non tantum ad doctrinam Sancti Thomae pertinet sed quoque ad bellum quod inter religiones Societatis Iesu et Dominicorum pro principatu educationis inter se decertantes tum gerebatur. Hic nobis erit opportunitas ut brevem mentionem faciamus auctorum, qui, quamvis ab Europa originem duxissent, aliquid Latine in Columbia scripserunt. Sic speramus fore ut pateat nonnullos fuisse viros doctos qui fundamenta iacerent a quibus institutio iuvenum Novi Regni exordium coepit. Hi viri primas bibliothecas, universitates et collegia erexerunt quae dein innutriverunt cum voluminibus quae ipsi in Columbiam attulerunt.

Dein poterimus studere operibus et vitae primi auctoris vere nati in Columbia, id est Andreae de Sancto Nicolao, qui ausus est opera litterarum penitus seiuncta a conclavibus collegiorum et universitatum scribere. Andreas fuit verus Creolus qui, ut videbimus, tam bene Hispanice quam Latine scribebat. Ex eius operibus sunt duo quae super cetera eminent: *Plantus Passerculi Solitarii* et *Prouentus messis dominicae Fratrum Excalceatorum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini. Congregationis Hispaniae labore perceptus. AD SANCTISSIMUM DN ALEXANDRVM VII. PER P. ANDREAM DE SANCTO NICOLAO eiusdem Congregationis Excalceatorum alumnum*, quorum, quamvis non distet a proposito nostro brevem recensionem facere, statuimus operi alteri animum

advertere. Illic ille historiam ordinis fratrum excalceatorum Augustini in ordinem redegit. Novissimum caput operis descriptioni quam ipse fecit temperiei, locorum et harum regionum incolarum dicavit.

Tertium opus maximi momenti est, nam, praeter primam paragraphum quam iam Rivas Sacconi in lucem ediderat, numquam antea quisquam litteris electronicis seu chartaceis mandaverat. Agitur de parva Oratione *de usu et utilitate Grammaticae* quam Marianus de Campo Larraondus et Valentia scripserat. Ille natus est anno 1772 paulo ante quam Columbia se in libertatem vindicavit. Multa aegre passus est in vita cum propter hostes eum persequentes tum propter morbum quo ab adolescentia laborabat et qui gradatim ei vires detraxit. Tum temporis multi extiterunt qui volentes omnia reformari, linguam Latinam penitus ab institutione iuvenum deturbari ambiebant. Ille autem, licet lingua Latina deminuta iam esset, numquam destitit, ut aspici potest in opusculis et Hispanice et Latine quae de utilitate linguae Latinae ipse decursu annorum confecit, a studiis classicis.

Ut omnia haec efficiamus, methodum qua Fernandus Campus de Pozo usus est in opusculo de tribus textibus a viris ordinis Augustini exaratis sequemur⁴. Sic simul atque brevem narrationem de vita uniuscuiusque auctoris in ordinem redegerimus, mentionem faciemus operum principum quae illi decursu annorum scripserunt. His peractis brevem commentarium de fragmentis selectis scribemus, cui non recusabimus addere quaecumque nobis, quamvis in alio opere contineantur, visa sint alicuius momenti. Tum nobis licebit indicem conficere rerum quas decursu investigationis invenerimus et earum quae adhuc

⁴ Campo del Pozo, Fernando. "Textos de tres agustinos en la Universidad de San Nicolás de Bari, en Santafé de Bogotá, durante el siglo XVIII: Francisco de San José, Gregorio Agustín Salgado y Diego Francisco Padilla". *Archivo Agustini*, Vol. 80, n.º 198 (1996): 53-75.

invenienda aut facienda sint. In primis autem speramus fore ut tum demum respondeamus utrum, haud secus quam Beda, Sanctus Thomas, Erasmus, Petrarca, et multi alii de quibus hic non est locus aliquid dicere, unusquisque suo quidem tempore, viri Columbiani iure numerari possint inter hos heredes linguae Latinae de quibus Valla locutus est in Praefatione operis sui necne.

CAPUT PRIMUM: DE UNIVERSITATIBUS NOVI REGNI

De vita Ioannis Martínez de Ripalda

Inter theologos et Latinistas qui ex Hispania in Novum Regnum iter fecerunt ut munere aliquo fungerentur, Ioannes Martinez de Ripalda magni momenti fuit, praesertim, ut videbimus, in rebus quae ad Societatem Iesu et ad certamen inter Iesuitas et Fratres Dominicanos attinent. Magistri vice et philosophiae et theologiae in Collegio Sancti Bartholomaei et in Universitate Xaveriana aliquot per annos functus, creatus est eiusdem Universitatis Rector. Pater Ripalda natus est Oligico in Navarra anno 1642, dein anno 1659 nomen Societati Iesu dedit ut postea undevigesimum annum aetatis agens in Novum Regnum anno 1662 iter faceret⁵. Nondum sacerdos creatus studia sua philosophiae et theologiae in Universitate Xaveriana gerere coepit. Tum iuvenes per triennium incumbabant in studia philosophiae quae ex logica, physica et metaphysica constabant.

Dein iuvenes perveniebant ad studia theologiae quae vocabantur maiora et constabant ex quattuor annis quibus pueri theologiae et ethicae seu moribus studebant. His studiis peractis discipuli diplomatis baccaulaureati et praeceptoris in utraque scientia honorabantur. Quin etiam his titulis alii, i.e. magistri philosophiae necnon theologiae doctoris, addebantur⁶. Ripalda autem quamvis natus in Europa, studia tamen maioris momenti, ut supradictum est, in Novo Regno coepit et perfecit. Quare iure dicere possumus eum adoptione vere filium factum esse Universitatis Xaverianae necnon Novi Regni. Quod

⁵Juan Manuel Pacheco, S.J. *Los Jesuitas en Colombia: Tomo III (1692-1767)* (Bogotá, D.E.: Editorial Pontificia Universidad Javeriana, 1989), 424.

⁶Germán Marquín Argote, “El Maestro Neogranadino Juan Martínez de Ripalda (1641-1707), cuadernos Salmantinos de Filosofía”, n.º 28, (2001): 10.

quidem Ripaldam a plerisque magistris distinxit qui studiis in Europa peractis iter faciebant ad Novum Regnum ut illic negotia sua expedirent⁷.

Sic philosophiae inter annos 1663 et 1666 studuit. Tum mos erat ut magistri discipulos singulas per horas cum mane tum vespere cottidie docerent. Discipuli semper Latine secundum methodum scholasticam erudiebantur. Illic Aristoteles pro maximo inter Philosophos habebatur et opera eius pro fundamento omnium rerum quas illic discipuli discebant. Quae quidem opera adulescentes ope commentariorum Sancti Thomae interpretabantur⁸. Praeter hos auctores, discipuli quoque in studium auctorum scholasticorum incumbabant qui saeculo XVI in Hispania floruerunt⁹.

Triennio philosophiae peracto quae pro studiis minoribus habebatur, Ripalda in studia quae maiora vocabantur i.e. theologiae inter annos 1666 et 1670 incubuit. Iuvenes fundamenta praeceptaque fidei Christianae secundum doctrinam Divi Thomae docebantur. Duo magistri discipulos in theologia dogmatica erudiebant, qui mores seu Ethicam vespere docebant. Nonnumquam et quartus praeceptor adhibebatur qui et vespere iuvenes in Sacris Scripturis erudiret¹⁰. Procedentibus theologiae studiis discipuli, qui ceteris praestarent, poterant munere hypodidascali in facultate artium fungi ut ad philosophiam docendam se exercitarent. Quod sine dubio Ripalda inter annos 1667 et 1668 et postea inter 1669 et 1670

⁷ Marquínez, “El Maestro Neogranadino”, 11.

⁸ Marquínez, “El Maestro Neogranadino”, 12.

⁹ José Manuel Rivas Sacconi, “Tratados didácticos de las universidades novogranatenses”, *Thesaurus: boletín del Instituto Caro y Cuervo*, Tomo II, n.º 3 (1946): 462.

¹⁰ Marquínez, “El Maestro Neogranadino”, 15.

fecit. Hypodidasalum oportebat magistros in aulas comitari et in scholis eorum adesse ut, antequam ipsi magistri sui iuris fierent, optimum modum discipulos docendi discerent¹¹. Sacerdote Ripalda anno 1669 ordinato, Societas eum administratorem et Collegium atque Seminarium Sancti Bartholomaei effecit. Quo quidem munere functus est quoad anno 1683 ipse creatus est rector huius Collegii. Sic rector conatus est omnia quae usui erant Collegio atque Seminario suppeditare, nam Collegium atque Seminarium Sancti Bartholomaei quam maxime obaeratum erat propter paroecias quae spatio viginti annorum magnum aes alienum ei conflaverant¹².

Iam non hypodidasalus sed magister in facultate artium scholas de logica et dialectica anno 1673 coepit docere. Sed ei magnae difficultates fuerunt, nam, quamquam ille multum sudavit in scholis ut discipuli possent argumenta philosophica velut illud *Universalium* intellegere, vix poterant illi quicquam ex his percipere. Quin immo ipse Ripalda fassus est se nondum rationes Sacti Thomae prorsus complecti posse¹³. Quae quidem difficultates penitus diminutae sunt decursu temporis, nam secundo anno artium ipse Ripalda tam peritus doctrinae sancti Thomae evasit ut tertio discipulos omnia magni momenti his de rebus gradatim doceret¹⁴. Peracto tertio artium anno, theologiam in Universitate Xaveriana anno 1677 docere coepit. Et annis 1687 et 1691 procurator provinciae est factus¹⁵.

11 Marquínez, “El Maestro Neogranadino”, 16.

12 Marquínez, “El Maestro Neogranadino”, 20.

13 Marquínez, “El Maestro Neogranadino”, 17-18.

14 Marquínez, “El Maestro Neogranadino”, 17-19.

15 Pacheco, *Los Jesuitas en Colombia: Tomo III*, 424.

Anno 1695 missus est procurator provinciae Societatis Iesu in Novo Regno et Quito ad Curiam Pontificiam & Regiam Matritensem. Proh dolor, bellum, quod tum inter Francogalliam et Hispaniam gerebatur, obstabat quominus ad Europam iter ageret. Quare interea rector Collegii Maximi et Universitatis Xaverianae anno 1696 est creatus¹⁶. Anno insequenti tamen conatus est Carthagine ad Hispaniam iter facere, sed bello impeditus mansit in vico Carthaginis nomine Mompox quoad anno 1698 ei vela dare licuit¹⁷. Matrili Ripalda opus, quod ad disputationes inter Iesuitas et Dominicanos pertinet et de quo mox plura dicemus, nomine *De usu et abusu doctrinae Divi Thomae* anno 1704 in lucem edidit. Denique tertio anno post quam rudem acceperat, Ripalda diem supremum obiit Matrili anno 1707¹⁸.

De editione textus

Ante quam inspiciamus fragmentum mammotrecti Ioannis, non aberrat a proposito hic referre quam editionem textus usi simus. Opus DE USU & ABUSU DOCTRINAE DIVI THOMAE, PRO XAVERIANA ACADEMIA COLLEGII SANCTAEFIDENSIS in Novo Regno Granatensi, &c divisum est in duo volumina quae anno 1704 simul in lucem edita sunt Leodii. Fuit sola editio huius operis. Et ut postea videbimus utrumque volumen argumento particulari est dicatum. Quod ad interpunctionem et ortographiam attinet omnia tamquam in exemplari anni 1704 apparent conservavimus. Diphthongos quoque retinuimus

¹⁶ Marquínez, “El Maestro Neogranadino”, 22.

¹⁷ Pacheco, *Los Jesuitas en Colombia: Tomo III*, 425.

¹⁸ Marquínez, “El Maestro Neogranadino”, 24.

secundum editionem anni 1704 necnon litteras grandes quibus auctor usus est ut quaedam verba innotescerent.

Fragmentum

1. DE USU & ABUSU DOCTRINAE DIVI THOMAE PRO XAVERIANA ACADEMIA COLLEGII SANCTAE FIDENSIS IN NOVO REGNO GRANATENSI, &c. AUTHORE P.JOANNE MARTINEZ DE RIPALDA.

PRAECLARISSIMAE, AC SAPIENTISSIMAE XAVERIANAE ACADEMIAE, SIVE UNIVERSITATI SANCTAFIDENSI SOCIETATIS IESU, Eiusque Collegio Maiori S. Bartholomaei in Novo Regno Granatensi Felicitatem.

Etsi Tuum sibi quaerit Patrocinium, PRAECLASSIMA, AC SAPIENTISSIMA ACADEMIA, meum hoc Volumen, quod nunc primum in lucem prodit tanti Nominis clientelae commendatum, tamen Tibi suum in primis obsequium praestare voluit; nec solum ut exhiberet observantiae causa, sed ut debiti nomine solveret. Ea porro necessitate, 5 qua refluent tandem ad mare flumina unde fluxerunt, redit in sinum Sapientiae tuae, unde traxit originem, quidquid in hoc Opere non indignum Magisterio tuo esse censueris: Et quamquam ego tenuitatis meae optime conscius vix possim rivulo comparari, tamen sicut nec pauperem aquae fontem Oceani repellit immensitas, ita nullius pene litteraturae foetum Sapientissima ne spernat Academia, speraverim: parentem uterque recognoscit suum, 10 vectigal uterque solvit exiguum quod potest, cum non possit maximum.

Atque hoc illud est, quod tuum mihi pollicetur Patrocinium, Academia Praeclarissima, videlicet quod Opus tueri tuum debeas, non meum. Jam vero quam illustre quamque validum istud sit auctoritate simul, ac sapientia, fidem facit omnibus Novi Regni

Provinciis Vestra, ORNATISSIMI PATRES, Probitas, atque Prudentia omni virtutum
15 experimento diutissime comprobata, ac in quolibet scientiarum genere per totam ætatem
versata cognitio, atque comprehensio. Germanos siquidem Vos facit XAVERII Societas,
facit & virtus, quemque Patronum elegistis Academia, Vobis magnorum operum exemplar
proposuistis factis exprimendum. Quis itaque animi fervor, quæ ingenii dexteritas,
sedulitas quanta, quanta constantia ad quæcumque Litterarum studia, non interrupta
20 mentis, atque corporis defatigatione, promovenda, ut nimirum a summo gloriæ vertice, ad
quem opera Maiorum vestrorum pervenit, Academia ne prouat; quin potius novis semper
iisque fulgentissimis redimita laureis exornetur. Hæc est tuæ, VIGILANTISSIME
PRÆSES, provide Mentis cura prima, ac maxima, ut ubi florere coepit Sapientia, dignos
edat tot laboribus fructus. Huc ingenii vestri conatus eruditissimi, atque totius Litteraturæ
25 monumenta præclarissima diriguntur, Magistri, ac Doctores eximii, pietate, ac scientiis ita
alere Juventutem, ut nova quodammodo prole gaudere possit Religio, novis omnino
fœtibus Magisteria lætentur, & Cathedræ. Et sane quam feliciter! Vobis enim vero
Doctores centum & viginti debet Theologia, quadringentos & duodecim Magistros
Philosophia, supra quingentos & triginta gradibus insignitos universa Academia.
30 Gloriabatur olim Cyrus Minor Rex Persarum, quod admiranti Lysandro Lacædemonio
ordinem, ac dimensionem arborum, quibus ager Regius distinguebatur, respondere potuerit:
Multæ istarum arborum mea manu sunt satæ: non indignum reputans Maiestate sua se
Villicum dicere, cum vel inter villicos spectari posset ut Rex.

At quanto gloriosius a Vobis dicendum PATRES, qui in supremo Sapientiæ solio,
35 Reges veluti inter Sapientes, eminentis: omnes istæ laureæ manu nostra sunt satæ, industria
nostra excultæ, sudoribus nostris enutritæ: atque hoc Opus studiorum vestrorum curam &

mercedem esse ducitis; nihil sapientia vestra dignius, quam vobis similes facere Sapientes. Percurrite nunc omnes ferme Novi Regni Provincias, & vestras ipsas recognoscite laureas, sacris Infulis intextas alias, Togis illustrioribus alias impositas, alias quæ populos regant
40 sanctitate morum, & doctrinæ pabulo in Templis, alias quæ in Judiciis Urbes moderentur Legum æquitate, & incorrupta Juris integritate; omnes denique singulari aliquo pietatis, ac munificentiae Regiæ præmio decoratas. Hæc utique tota quanta est, suos ad Colonos revertitur gloria; quamquam hoc Vobis gloriosum sit, omnem quidem promereri gloriam, nullam admittere.

45 Occurrit iam mihi ager ille felicissimus, ubi ad tantæ spem gloriæ, & crescunt tenellae velut arbusculæ, iuventus florida, quæ Xaverianæ Academiae pars est altera sane præcipua, ac decus omne ex parte nobilissimum. De Te loquor Divi Bartholomaei Collegium, in quo quid spectem primum, quid extollam laudibus nescio, Pietatemne, an Sapientiam, animine, an sanguinis claritatem. Huc enimvero ita confluent omnes, ac tanta
50 inter se pari dotium concordia connexæ, ut nulla præferri, nulla postponi sine injuria possit. Paucis complectar, quod ornatiori oratione prosequi deberem. Omnes propemodum Novi Regni Provinciae Te Parentem agnoscunt suum, tum quod pueros ad Te mittant, quos dirigas, tum quod viros a Te recipiant, quibus dirigantur. Securius vivunt, dum tuæ commendant curæ primum suæ Nobilitatis florem, ut & Pietatis, & Sapientiae lacte
55 enutritus adolescat probitate morum & scientiarum fulgore conspicuus. Adolevit profecto vel a suis primordiis tanto cum fœnore, ut nulla fere sit dignitas in hisce Provinciis, quæ tuis ab Alumnis potius non acceperit, quam dederit ornamentum.

Hinc Præsules, Decani, cæteræque prodeunt facræ Dignitates ad populos, Urbesque regendas, sanctisque legibus, doctrinis, ac exemplis instituendas. Hinc Præsides, Togatos,

60 ac Ministros reliquos Regia educit Beneficentia, qui probitate, prudentia, atque scientia
prestantes non minus munere, quam virtutibus præsent. Hinc demum sacri Ordines ex
opulentissimo velut ærario thesauros suos exhauriunt, quibus ditata Religio in omnium
gentium utilitatem divitias Pietatis, ac Sapientiæ tuæ profundat; nec satis nisi profundat &
sanguinem: paucis quidem hoc contigit, inter quos omni veneratione dignus P. Petrus
65 Suarez Guerra; plurimi tamen Fidei propaganda studio, felicissimæ huic sorti per
immensos pene dixerim labores, perque innumera terra marique pericula semper anhelarunt
; XAVERIO similes, quem a prima ætate non tantum ut Academiae Patronum colere, sed
ut Apostolicæ vitæ Magistrum imitari didicerunt. Itaque de Te, COLLEGIUM
NOBILISSIMUM, id tandem dicam, quod de eodem XAVERIO, dum viveret, dicebatur
70 unum pro millibus esse. Felix propterea Societas JESU, cui agri tam bene culti, atque ad
omnem frugem parati cura committitur; labores hic commendat tuos fructuum copia; nec
quid ultra optes, relinquit, cum vel ipsam ubertate sua vicerit expectationem.

Atque sunt hæc, PRÆCLARISSIMA, AC SAPIENTISSIMA ACADEMIA, Gloriæ
tuæ decora leviter potius adumbrata, quam expressa; tanta tamen, ac tam sublimia fuerunt,
75 ut, cum altius vel in ipso Tui exordio surgere non posse videreris, ne funditus eversa rueres,
timendum esset. Ita profecto: atque adeo pervulgata res est ut eam silentio premere qui
velit, non possit. Illustrissimæ, ac Sapientissimæ Prædicatorum Patrum Familiæ Illustris
æque ac Sapiens Academia Gradibus tuis (purioris doctrinæ, ut sibi suasum erat, zelo)
obsistebat, & jus Laureæ impugnabat. Delata ad Concilium Regium causa annos supra
80 septuaginta agitabatur, magno inde ardore animi, hinc maiori cordis trepidatione. Nutabant
iam tuo in vertice laureæ, & parum deerat, quin caderent validissima Adversariorum
dextera recidenda. Verum post diligenti examine discussam causæ iustitiam, postquam

momenta Rationum utrimque proposita æqua lance librata fuere, Tibi tandem aliquando
victoria adiudicata est, ACADEMIA FELICISSIMA. Vicisti Superum beneficio, quæ
85 semper Superum vixisti gloriæ: (& sane timere quid poteras patrocinate XAVERIO
causam?) Plurimum debes integerrime sapientissimorum Judicum æquitati: plurimum
debes & Tibi, quæ tuis preclarissimis erga Hispanicum Imperium meritis magis, quam
Procuratoris tui lingua perorabas.

Attollite igitur laureatum caput ab irati Coeli fulminibus immune, & frontem novo
90 laureæ genere redimitam ostenta Posteris verendam. Gratulantur interea totius Novi Regni
Provinciae victoriam tantumdem sibi utilem, quantum Tibi gloriosam: commune siquidem
periclitabatur bonum, dum de tua timeretur fortuna; communis iam nunc exultat lætitia,
cum securitatem consecuta sit felicitas tua. At longe plus cæteris gratulandum mihi, qui a
novis, necnon potentissimis Adversariorum conatibus contra Xaverianam Academiam
95 occasione sumpta scribendi (ut sequenti Prolusione clara constabit) iam Tecum venio in
victoriæ partem, priusquam publicæ me pugnae committam, Patrocinii tui fructum
expertus, antequam poscerem. Quid ergo superest, nisi ut ea, qua polles autoritate, &
sapientia, Opus quod Tibi tot nominibus devinctum Tuum potius, quam meum esse
dicebam, tueri prosequaris. Non aliter suam semper tuebitur, ut speramus, Academiam
100 FRANCISCUS XAVERIUS communi Novi Regni, Hispaniæ, Fidei, ac Religionis bono
consecratam.

Eximia Dominationis Vestrae,

105 Obsequiis semper Discipulus addictissimus,

IOANNES MARTINEZ DE RIPALDA .

Commentarius

Hoc in commentario nobis in animo est demonstrare mammotrectos esse documenta magni momenti quae perhibeant quemadmodum homines, qui decursu saeculorum XVII et XVIII vixerunt, lingua Latina sint usi. Quin immo ostendunt cur lingua Latina sit instrumentum sine quo non liceat studere historiae educationis Novi Regni. Paene enim omnes magistri et discipuli qui tum aliquid litteris mandaverunt, Latine scripserunt, nec defuerunt qui, aliquid Hispanice effingentes, opera sua dictis et adagiis auctorum veterum decorarent.

Proh dolor, ars typographica sero in anno 1738 in Novum Regnum pervenit, quare difficile erat Collegiis et Universitatibus exemplaria auctorum probatorum discipulis suppeditare¹⁹. Discipulos ergo oportebat attente audire quaecumque magister in scholis legeret ut dein omnia diligenter pugillaribus suis mandarent. Magistri nonnumquam inspiciebant quidquid discipuli scripsissent, praesertim in scholis minoribus, ut pugillares eorum probarent. His pugillaribus nomen erat mammotrecti²⁰. Et magistri et discipuli mammotrectos scribebant, sed ille quem ipse magister scribebat, pro compendio habebatur scholarum quas ipse docebat. Sic scholae nonnumquam dictationes fiebant in quibus magister mammotrectum suum legebat, dum discipuli omnia quaecumque perciperent

¹⁹ José Manuel Rivas Sacconi, *El Latin en Colombia: Bosquejo Histórico del Humanismo Colombiano* (Bogotá: Instituto Colombiano de Cultura, 1977), 64-65.

²⁰ Secundum *Frocellini* Verbum *mammotrectus* ex verbo Latinitatis serae *mammothreptus* provenit quod Augustinus in *Tractat. In psal. 20.* adhibuit. At verbum Latinum a verbo Graeco *μαμμόθρεπτος*, cuius partes *μάμμη* vel *μάμμη* et *τρέφω* Latine “mamma” et “nutrio” aut “nutrix” est exortum. Conicere ergo possumus verbum *a nutrice altus* Latine significare.

mammotrectis suis mandabant²¹. Inter homines qui doctrinam suam mammotrectis mandaverunt, nomina hominum uniuscuiusque ordinis i.e. Iesuitarum, Dominicorum, Franciscanorum, necnon Augustinorum numerare licet. Mammotrecti tamen magistrorum, quamquam pro opere proprio habebantur, nihil nisi rudimenta, et nonnumquam satis mediocria, scholarum continebant. Hac de causa, nonnulli exstiterunt qui exigerent ut bonae editiones auctorum discipulis suppeditarentur. Sed Collegia et Universitates non habebant unde omnia necessaria depromerent, quocirca mos mammotrectorum diu viguit in universitatibus Novi Regni. Mammotrecti, qui adhuc manent, in scriniis et Bibliothecae Nationis et Collegii Rosarii reperiri possunt. Et quamquam argumenta, quae in eis continentur, ad philosophiam et theologiam praesertim attinebant, non tamen defuere viri qui eis argumenta ad ethicam seu mores, Sacras Scripturas, leges et studia humanistica pertinentia mandarent²².

In singulis mammotrectis et magistri et discipuli chirographum suum scribebant, sed perspicuum erat quid uterque eorum fecisset, nam magistri munere fungebantur lectoris, discipuli vero scribae. Nonnumquam tamen solum magistri nomen apparebat. Duo igitur erant genera mammotrectorum, alterum magistrorum, alterum autem discipulorum. Omnes paginae mammotrecti a parte sinistra sursum deorsum terebrabantur, postea filus quidem aureus in foramina, quae eodem spatio aliud ab alio inter se distabant, introducebatur ut codicis paginae huius modi in ordinem redactae cum ipso tegumento ex pelle velleris confecto ligarentur. Aperto codice licebat primam paginam eleganter scriptam videre. Nonnulli mammotrecti Prooemium principio habebant, necnon indicem

²¹ Rivas Sacconi, *El Latin en Colombia*, 89-90.

²² Rivas Sacconi, "Tratados novogranatenses", 461-462.

rerum ad extremum. In Prooemio vero quoque exstabat mentio orationis quae scholae principio publice habebatur. Denique et dies a qua scholae exordium capiebant et illa in qua ad terminum perveniebant sub fine operis praebebantur²³. Proh dolor, iniuria temporis paene omnes mammotrectos, qui essent scripti decursu saeculi XVI, delevit, nam Collegia et Universitates paulo ante conditae vix labores suos coeperant et nondum poterant fructum eorum percipere. Opera ergo huius generis saeculis XVII et XVIII floruerunt²⁴.

Opus Ripaldae est exemplar litterarum huius generis, i.e. mammotrectus qui pro principe haberi potest, nam, praeter pulchritudinem Latinitatis auctoris et gravitatem doctrinae quam ipse Ripalda peritissime exposuit, illic quoque inveniuntur signa belli, quod gestum est inter Iesuitas et Dominicanos pro principatu institutionis iuvenum in Novo Regno. Quare speramus fore ut ad extremum huius capituli pateat linguam Latinam non posse ab historia Americae Meridionalis divelli, cum et vestigia eius etiam ab exordio illarum regionum, quae hodie pro patriis sui iuris habentur, ubique reperiri possint. Semper enim fuere in America Meridiana qui ad unguem linguam Latinam didicissent ut dein scite ea ad negotia gravissima alio quidem vertentia, uterentur. Quamobrem, nostro quidem iudicio, lingua Latina fuit instrumentum studio dignum quo docti mentem iuvenum, qui postea regionem erant recturi, informarunt.

Hac de causa ante quam summa cum cura inspiciamus quid Ripalda in epistula dedicatoria operis sui scripserit, non distat a proposito ut pauca de opere ipso et de iis quae in eo contineantur hic referamus. Non multum autem commorabimur hac in re, nam si

²³ Rivas Sacconi, *El Latin en Colombia*, 92-93.

²⁴ Rivas Sacconi, "Tratados didácticos de las universidades novogranatenses", 464.

omnia quae in opere eius ab origine velimus repetere, ante vesper diem componet quam nos negotium expediamus. Opus ergo divisum est duas in partes. Prima pars ad res philosophicas pertinet, altera ad theologicas. Prima ergo pars quam auctor noster et Universitati Xaverianae et Collegio Sancti Bartholomaei dicavit, divisa est in duodecim opuscula quibus nomina sunt: I - De ente; II - De unitate et Distinctione inter gradus superiores & inferiores; III - De Universalibus in communi; IV - De Individuo; V - De possibilitate; VI - De praedicamento Substantiae; VII - De Principiis Substantiae naturalis; VIII – De Quantitate; IX – Praedicamentum Qualitatis; X – Praedicamentum Relationis; XI – De Infinito & Continuo Quantitatis; XII – De Creatione. In his Ripalda tractat omnes quaestiones philosophicas de quibus docti tum temporis disputabant. Altera pars quae ad theologiam spectat non in duodecim sed in quattuor opuscula est divisa quibus singulis nomina sunt: I – De Divina Motione; II – De Usu, & Abusu Scientiae Mediae; III – De Gratia Sanctificante; IV – De Augustissimo atque inscrutabili Divinae Trinitatis Mysterio. Partem secundam in honorem Scientiarum Universitatis in Collegio Societatis Iesu, Urbis Quitensis in America, Sub titulo Divi Gregorii erectae, Et Collegii Marioris Sancti Ludovici scripsit²⁵.

Illic Ripalda de omnibus his rebus disseruit secundum interpretationem quam ipse de argumentis Sancti Thomae fecerat. Nam Ripalda non tantum iterat quaecumque Sanctus Thomas in operibus suis enodaverit, sed argumentis Sancti Thomae fretus conatur argumenta propria corroborare²⁶. Quantum in philosophia est uterque auctor habetur pro

²⁵ Pacheco, *Los Jesuitas en Colombia: Tomo III*, 426.

²⁶ Marquínez, “El Maestro Neogranadino”, 25.

auctoritate. Vicissim quantum ad theologiam attinet, Aristoteles ancillae partes agit dum, Sanctus Thomas principis²⁷.

Ut decet bonum Iesuitam, Ripalda usus est Latinitate quae, quamvis non praeter modum, satis elegans fuit ut, argumenta in ordinem sua redigens, animos lectorum captaret. Ut enim scimus, a principio ordinis Iesuitis in animo fuit Latinitatem colere ut argumenta scholastica magis speciosa reddere possent. Nam saeculo XVI procedente fuit magna similtas inter Universitates Scholasticas quae ab medio Aevo originem ducebant et scholas modo ortas Humanistarum²⁸. Fundamenta Universitatum iacta erant super doctrina Aristotelis et magna pars huius doctrinae ad Rem Naturalem pertinebat. Haec doctrina pro magna scientia tum habebatur et homines qui in studium eius incumbabant rebus velut physicae, zoologiae, biologiae, astronomiae studebant ut veritatem universitatis rerum invenirent. At plerique Christiani docti Aristotelem non esse Christianum, sed paganum dolebant. Quamobrem docti huius aetatis opera eius secundum Sacras Scripturas interpretari voluerunt. Sic universitatum homines diu conati sunt ab initio pontem inter scientias Aristotelis et fidem Christi exstruere²⁹. Sic inspectis Aristotelis operibus scholastici omnia quae fidei Christianae aptare possent ex eis depromebant.

Humanistae autem, ad extremum medii aevi in brevi temporis spatio floruerunt. Et eis in mentem semper fuit non tantum discipulos res ad scientias pertinentes docere, sed,

²⁷ Marquínez, “El Maestro Neogranadino”, 29.

²⁸ Jozef IJsewijn, *Supplementa Humanistica Lovaniensia V. Companion to Neo-Latin Studies: Part I History and Difussion of Neo-Latin Literature. Second entirely rewritten edition* (Leuven: Peeters Press et Leuven University Press, 1990), 22-23.

²⁹ John W. O'Malley, *Saints or Devils Incarnate? Studies in Jesuit History* (Leiden – Boston: Brill, 2013), 201.

freti auctorum veterum operibus, optimum modum vivendi eis ostendere ut postea et ipsi discipuli sic eruditi Rei Publicae prodessent. Opera auctorum antiquorum postea sunt appellata litterae humaniores et in eis opera scaenica, carmina, opera historica, orationes, fabulae continebantur³⁰.

Humanistae credebant fore ut discipuli, qui litteras humaniores colerent, vitam beatiorum degere possent. Et quamvis ambae scholae usae sunt Latinitate ad opera, quibus rationes et consilia sua homines docerent, scribenda, utraque tamen methodos quam maxime aliam ab alia inter se dissimiles usurpavit ut argumenta sua communicarent. Quod quidem significat Imperio Romano diruto linguam Latinam perrexisse vivere. Procedente autem tempore eam excidisse ex oribus hominum quoad paene tantum in scriptis et virorum cum Scholasticorum tum Humanistarum doctorum inveniri posset. Magna vero similitudo inter duas methodos eiusdem Linguae id est inter Latinitatem Scholasticam et Humaniorum videtur fuisse, nam, quamvis Latinitas Humanistica serius orta esset, ipsa stilo, vocabulario, carminibusque philosophorum scholasticorum repugnare videbatur³¹.

Iesuitae autem non viderunt has duas methodos ad pueros docendos sicut res inter se prorsus aversas sed quae alia aliam invicem corroborabant³². Quocirca Iesuitis visum est conficere methodum novam cui nomen fuit Ratio Studiorum. Qua quidem methodo Viri Societatis Iesu magni pretii esse duxerunt ut discipuli et scribere et loqui composite discerent antequam scientiam scholasticam adipiscerentur. Sic iuvenes discipuli et auctores classicos et patres Ecclesiae in scholis Societatis evolvebant. Nam contra quae postea facta

³⁰ O'Malley, *Saints or Devils Incarnate?*, 236.

³¹ IJsewijn, *Companion to Neo-Latin Studies: Part I*, 22.

³² O'Malley, *Saints or Devils Incarnate?*, 211.

sunt apud viros Scholasticos, patres Ecclesiae lepidum stilum, qui Ciceronis eloquentiae assimilabatur, in operibus suis affectabant ut argumenta enodarent³³.

Mox autem patuit eandem methodum adhiberi posse quo sacerdotes, veritatem doctrinae Scholasticae praedicantes, facilius animos hominum ad eam adlicere possent et sic desiderium vivendi secundum praecepta sacrarum scripturarum in imo corde fidelium excitarent³⁴. Ut summatim dicamus, viri societatis Iesu videbant in doctrina Scholastica viam expeditam quo facilius animos ad Christum ducerent. Quare eis in animo fuit methodo Humanistica uti ut Scholasticam humaniorem redderent et huius modi hominibus ipsa speciosior appareret³⁵. Et quo facilius scopum suum attingere possent, scholas ubique exstruere statuerunt. Primam ergo scholam, ubi iuvenes volentes nomen suum Societati dare accipiebant, Messinae anno 1548 condiderunt. Mox vero, cum fama methodi Iesuiticae per omnem orbem percrebuisset, ipsi Iesuitae multa cum admiratione discipulos laicos in scholis suis docere coeperunt³⁶.

1-9

Sic quamquam Ripaldae opus ad rem scholasticam pertinet, quantum in epistula dedicatoria est, ille non videtur Latinitatem classicam refugisse, immo vero opus exordium coepit a methapora quae non indigna auctore classico esse videtur. Auctor utitur imagine fluminis quod magno ambitu transacto ad mare unde primum fluxerat rediit. Flumen ergo assimilatur operi quod ipse Ioannes scripsit ut Universitati Xaverianae, quae illic partes

³³ O'Malley, *Saints or Devils Incarnate?*, 184-185.

³⁴ O'Malley, *Saints or Devils Incarnate?*, 190-191.

³⁵ O'Malley, *Saints or Devils Incarnate?*, 187, 189.

³⁶ O'Malley, *Saints or Devils Incarnate?*, 193.

maris agit, opem ferret. Hic duae res nobis notandae sunt. Primum mentionem faciamus generis scriptionis quo Ripalda in epistula conatus est affectare. Primo obtutu perspicuum est Ripaldae textum exordium a gratiarum actione coepisse. Qui mos inter viros doctos in universitatibus huius temporis viguit. Multi ex opusculis et orationibus huius modi ad vitam in universitate degendam pertinebant et nonnumquam in partes quinque dividebantur. Hac de re dissertius loquemur in capite tertio opusculi nostri ne a proposito aberremus. Proh tempore autem satis erit pauca de prima parte dicere. Illic dum rem laudatam ad caelum blanditiis tollebat, ipse auctor humilitatem commenticiam, ne dicamus fictam, simulabat ut demonstraret peritiam et sic lectorum animos ad se vi sui ingenii traheret. Auctor ergo semet ipse imperitiae accusabat ut pulchritudine sententiarum et elegantia verborum opus suum dignum esse lectione ostenderet.

Hic habemus Ripaldam qui, quamquam asseruerat se ne rivulo quidem comparari posse, sperabat ipsam Universitatem accepturam esse quod ipse scripsisset, nam non est parentum dona filiorum repudiare, sed, quidquid liberi eis offerre possint, accipere. Laudatio autem huius epistulae, cum sit dedicatoria, usque ad finem ipsius manet et non nisi ad extremum auctor develat cur ipse tale opus scribere statuerit. Iam vidimus opus Ripaldae non fuisse minoris pretii, immo vero Societati Iesu utilissimum, nam ipsa Universitas Xaveriana videtur fructum Ripaldae laborum percepisse.

De cetero ut iam dictum est, Ripalda iterum iterumque procedente epistula Universitati Xaverianae Societatique Iesu gratias agit. Quare facile coniectari potest

Ripaldam numquam paenituisse litteris studuisse in novo Regno³⁷. Semper palam et aperte amorem erga hanc Universitatem est fassus. Nihilominus, ut iam in proposito thesis dixeramus, tum temporis multum discriminis erga auctores in America natos erat necnon erga eos qui, quamvis alio loco nati, studia in eadem continente perficerent aut aliquid illic scriptum in lucem edere vellent. Quod quidem Ripaldae quoque accidisse videtur, nam quamquam ipse opus suum anno 1702 iam confecerat non edidit in lucem nisi anno 1704. Ante quam enim opus litteris mandaretur, censor et alii docti debebant quae auctor scripsisset probare. Quod quidem anno 1703 fecerunt cum “nihil obstat” darent ut dein opus anno insequenti imprimeretur. Ripaldam autem numquam puduit laurum in Novi Regni Universitate sibi vindicare³⁸.

Causa autem amoris quem erga hanc Universitatem habuit mox patuit. Nam et Universitas Xaveriana fuit una ex primis universitatibus in Novo Regno, et antequam Iesuitae in Sancta Fide scholam conderent, iuvenibus opus erat aut Quitum aut Limam iter facere. Unde autem exorta est Universitas Xaveriana?

Ut ad hanc interrogationem respondeamus, opus est primum de origine Latinitatis in Novo Regno dilucidare. Ripalda non fuit solus vir qui ex Europa in Novum Regnum iter faceret ut illic munere suo fungeretur. Ante adventum Ripaldae iam nonnulli Hispani et Europaei ad Novum Mundum venerant ut regionem in dicionem Hispaniae redigerent. Hac de causa fatendum est, velimus nolimus, linguam Latinam in America Meridionali

³⁷ Hic paulo videbimur ab incepto nostro paulo aberrare, sed, quamvis res ad alium locum videantur vergere, ad extremum pertinent ad disputationem, cuius mentionem principio huius opusculi feceramus, de Universitatibus in America.

³⁸ Argote, “El Maestro Neogranadino”, 22-24.

exordium ab Hispania coepisse³⁹. Primi enim homines qui ad Americam pervenerunt mores et cultum hominum Europaeorum saeculi XVI illuc secum afferebant. Inter eos fuere qui iam litteras in Europa didicerint necnon qui expertes earum pacata regione eis operam dederint. Utrumque genus hominum munere militis est functum. Sic armis depositis nonnulli sacerdotes aut monachi facti sunt et semina Latinitatis in Novo Regno calamo severunt⁴⁰.

Quamobrem pristina vestigia linguae Latinae hic illic disseminata per omnem regionem invenire licet. Sunt inscriptiones, fragmenta, sententiae et etiam versus qui ab Europaeis scripti testimonium de adventu Latinitatis in Americam perhibent. Horum hominum maioris momenti fuere Gonzalus Ximenez de Quesada et Ioannes de Castellanis. Ii fundamenta studiorum Classicorum in Novo Regno iecerunt⁴¹. Uterque eorum auctores classicos assidue legebat et multa litteris mandaverunt⁴².

Milites non fuere soli qui in expeditionibus ad regionem hanc subigendam iter facerent. Cum eis enim quoque adfuere sacerdotes et monachi qui his regionibus sub dicionem redactis nonnulla collegia erexerunt⁴³. His in scholis sacerdotes primum filios

³⁹ Rivas Sacconi, *El Latin en Colombia*, 10-13.

⁴⁰ Rivas Sacconi, *El Latin en Colombia*, 33.

⁴¹ Rivas Sacconi, *El Latin en Colombia*, 12.

⁴² Proh dolor autem non possumus pro certo habere qualis Latinitas Quesadae esset, nam paene omnia quae ipse scripsit deleta sunt iniuria temporis. Nihilominus qui tum cum eo vitam degerunt asseruerunt eum fuisse peritum linguae Latinae. Quod ad Ioannem de Castellanos attinet, scimus eum nonnullos versus et Hispanice et Latine scripsisse in quibus nonnumquam ipse imitatus est antiquitatis auctores. Ad Ioannem de Castellanos paene omnes poetae et viri qui plus minusve aliquid in litteris poterant confluxerunt necnon mali poetae et illi facultatum expertes. Ille natus est anno 1522 et anno 1607 e vita emigravit. Rivas Sacconi, *El Latin en Colombia*, 7, 24, 31.

⁴³ Rivas Sacconi, *El Latin en Colombia*, 33.

Hispanorum litteris erudierunt. Sic Fratres Dominicani primam aulam Latinitatis totius Novi Regni in Sancta Fide apud ordinis coenobium anno 1563 aperuerunt⁴⁴. Proh dolor autem principio tantum licebat filiis Hispanorum litteras discere.

Quod ad aborigines pertinet collegia fuere in quibus filii nobilium litteras docebantur, sed incertum est quam diu haec Collegia aperta manserint. Sed contra atque in Mexico factum est, nihil rerum quas aborigines tum in Novo Regno scripserunt usque ad nos pervenit. Ludovicus Sanchez primus et aborigines et mixtos Latinitatem docuit⁴⁵. Et hi tam bene grammaticam didicerunt ut ipsi comoedias Latine edere possent⁴⁶. Quin etiam sacerdotes fuere Iesuitae qui sicut Alonsus de Sandoval et Petrus Claver, Afros in Cartagine fidem Christi docuerunt⁴⁷. Nihilominus incertum est utrum ii Afros Latinitatem docuerint, nam constat tum fuisse nonnullas leges perlatas quae per totam regionem Americae Hispanae homines ex Africa provenientes a scholis arcerent⁴⁸.

Apertis collegii Dominicanorum portis, alii ordines idem consilium aggressi sunt et collegia propria exstruere festinaverunt. Quod ad Societatem Iesu attinet, quamvis Fratres Societatis iam frustra conati essent annis et 1590 et 1598 idem facere, collegium tamen proprium anno 1604 valuerunt exstruere⁴⁹. Anno 1605 archiepiscopus Bartholomaeus

⁴⁴ Rivas Sacconi, *El Latin en Colombia*, 41.

⁴⁵ Vicente G. Quesada, *La Vida Intelectual en La America Española Durante los Siglos XVI, XVII y XVIII* (Buenos Aires: Arnoldo Moen y Hermano, 1910), 101.

⁴⁶ Rivas Sacconi, *El Latín en Colombia*, 74-75.

⁴⁷ Daniel Restrepo, *La Compañía de Jesús en Colombia* (Bogotá: Imprenta del Corazón de Jesús, 1940), 30.

⁴⁸ Stuart McManus, *Empire of Eloquence: the classical rhetorical tradition in colonial Latin America and the Iberian world* (New York: Cambridge University Press, 2021), 18.

⁴⁹ Rivas Sacconi, *El Latin en Colombia*, 42-43.

Lobo Guerrero statuit iterum seminarium conciliare aperire et illi fratres Iesuitas praeponere. Sic Collegium ordinis Iesuitarum et Seminarium conciliare redacta sunt in rem solam cui Hispanice *Colegio Real Mayor y Seminario de San Bartolomé* nomen fuit. Ope Archiepiscopi Fratris Cristobal de Torres Collegium Maius Nostrae Dominae Rosarii (de Nuestra Señora del Rosario) ianuas suas anno 1653 aperuit⁵⁰.

17-30 / 47-52 / 53-56

Mox Societas Iesu collegia per civitates principes Novi Regni disseminata habuit. Societatis Collegia Cartagine, Tunxae, Hondae, Popayae, Mompox, Bugae, Antioquiae, Pamplonae, Pasto, et vel Panamae non defuere. Exsilio tempore 13 Collegia in Novo Regno numerabantur⁵¹. Non immerito Ripalda asseruit in epistula dedicatoria Universitatem Xaverianam tot discipulos diplomatis honoravisse quot arbores Cyrum Regem sevisset. Universitas Xaveriana re vera videtur semina urbanitatis et civilitatis per totam regionem Novi Regni disseminavisse. Hac de causa numerat homines qui illic iam laurum acceperint: *Vobis enim vero Doctores centum & viginti debet Theologia, quadringentos & duodecim Magistros Philosophia, supra quingentos & triginta gradibus insignitos universa Academia.*

Neque oblitus est Ripalda Collegi Sancti Bartholomaei, nam constat intimum nexum inter Collegium Santi Bartholomaei et Universitatem Xaverianam tum fuisse. Hac de causa hic Ripalda quoque voluit gratias particulares Collegio illi agere:

⁵⁰ Rivas Sacconi, *El Latin en Colombia*, 43-44.

⁵¹ Rivas Sacconi, *El Latin en Colombia*, 44.

*Omnes propemodum Novi Regni Provincia Te Parentem
agnoscunt suum, tum quod pueros ad Te mittant, quos
dirigas, tum quod viros a Te recipiant, quibus dirigantur.
Securius vivunt, dum tuæ commendant curæ primum suæ
Nobilitatis florem, ut & Pietatis, & Sapientiæ lacte enutritus
adolescat probitate morum & scientiarum fulgore
conspicuus.*

Collegio illi, quod Societas anno 1604 exstruxerat, et postea vocatum est Sancti Bartholomaei, principio fuit aliud nomen, illud Collegii Maximi. Anno insequenti iussu Archiepiscopi Sanctae Fidei, i.e. Archiepiscopi Bartholomaei Lobo Guerrero Seminarium Sancti Bartholomaei est reffectum et, ut supra dictum est, Societatem Iesu ei praeposuit. Sic aedificiis duobus in rem unicum factis, Collegium iam non vocabatur Maximum sed Sancti Bartholomaei⁵². Illic Pater Iosephus Dadey pulchram orationem Latinam habuit antequam scholae coepissent.

Et fama Collegii tam cito per totam regionem percubuit ut nondum anno transacto iam paene 100 discipuli in aulis numerarentur⁵³. Lingua Latina feliciter floruit inter hos discipulos, nam paulo post constat multos eorum in alias regiones Novi Regni lares transtulisse ut illic eam quoque docerent⁵⁴. Studia minora aut philosophiae exordium coeperunt ab anno 1609, illa maiora aut theologiae ab anno 1612.

⁵² Restrepo, *La Compañía en Colombia*, 20-23.

⁵³ Jesuítas, *La Compañía de Jesús: los Jesuítas colombianos en el IV centenario de la Compañía a sus amigos y bienhechores* (Bogotá: Imprenta del Corazón de Jesús, 1940), 154.

⁵⁴ Restrepo, *La Compañía en Colombia*, 30.

Tum Societas Iesu pro Collegio Maximo habebat illud quod inter omnia collegia alicuius regionis emineret ob vetustatem aut gravitatem studiorum quae illic docerentur. Quod nomen, i.e. Maximi nullum aliud Collegium tum mereri poterat nisi illud Sancti Bartholomaei⁵⁵.

Quod ad Universitatem Xaverianam attinet, principio non vocabatur Universitas sed Academia, nam neque ipsa Xaveriana neque illa Academia Sancti Thomae, quam Dominicani gerebant, gradum universitatis ab auctoritatibus regiis impetraverunt nisi saeculo XVIII⁵⁶. Ambae tamen pro universitatibus inter incolas Novi Regni habebantur et utraque discipulos suos diplomatis honorabat⁵⁷. Pontifex Maximus in forma Brevis anno 1621 declaravit discipulos, qui studia in collegiis Indianis Societatis perfecissent, laurea honorari posse. Paulo post duo regis decreta hunc Brevem pertulerunt, primum mense Februarii, dein illo Martii. Anno insequenti Universitas Xaveriana iam firma stabat⁵⁸. Primus discipulus diplomate anno 1624 est honoratus illic⁵⁹.

Universitas Xaveriana floruit et mox studiis et philosophiae et theologiae illud medicinae est additum. Constat autem Universitatem Xaverianam e Collegii Bartholomaei penitus pependisse, quamobrem nonnumquam in documentis magni momenti ipsa

⁵⁵ Restrepo, *La Compañía en Colombia*, 50.

⁵⁶ Restrepo, *La Compañía en Colombia*, 50.

⁵⁷ Restrepo, *La Compañía en Colombia*, 48.

⁵⁸ Rivas, *Historia Latin en Colombia*, 48.

⁵⁹ Jesuítas, *La Compañía*, 183.

vocabatur Universitas Collegii Maximi Sancti Bartholomaei aut Universitas in sinu Collegii condita, necnon Universitas in Collegio Sancti Bartholomaei inclusa⁶⁰.

67-92

Tum ad extremum textus, Ripalda mentionem fecit de bello inter Iesuitas et Dominicanos quod spatio totius saeculi XVII late serpsit. Quaestionem quam maxime intricatam hic dilucidare conabimur. Sed, antequam causae aperiantur ob quas simultas inter ordines orta est, pauca, quae ad educationem puerorum in Collegiis Fratrum Dominicanorum pertineant, velimus hic referre.

Omnium ordinum, ille Fratrum Dominicanorum fuit primus, ut iam dictum erat, qui in regione Novi Regni collegium exstruxit. Hac de causa eis in animo fuit petere a Pontifice Maximo ut sibi Universitatem erigere in coenobio Rosarii liceret. Quod quidem privilegium ordo a Pontifice impetravit, Gregorius XIII enim anno 1580 emisit bullam *Romanus Pontifex* qua Dominicanis Universitatem omnibus facultatibus praeditam exstruere concessit⁶¹. Auctoritates autem regiae obstiterunt ne hoc fieret, nam, proh dolor, antequam decreta Papae in Novo Regno perferrentur, auctoritates regiae illa probare debebant. Sine permissione regis, ne ullum quidem decretum ecclesiasticum in Novo Regno proferri poterat. Itaque Rex anno 1584 sibi referri iussit unde Fratres Dominicani satis pecuniae sibimet ipsi suppeditaturi essent ut magistros magna mercede conducerent

⁶⁰ Restrepo, *La Compañía en Colombia*, 48-50.

⁶¹ Rivas, *Historia Latín en Colombia*, 46-47.

et necessaria discipulis praeberent⁶². Omnia haec ante facta sunt quam Iesuitae vel Collegium Maximun anno 1604 erexerunt.

Dominicani ergo statuerunt transferre facultates Universitarias quas paulo antea acceperant ad Collegium Sancti Thomae, nam vir Nomine Gaspar Núñez Figueroa satis pecuniae eis in testamento suo reliquerat ut Collegio necessaria suppeditarent. Quod Iesuitae aegre tulerunt, nam Gaspar Núñez quoque huius subsidii partem Societati Iesu in testamento suo reliquerat. Fratres Societatis igitur Dominicanos avaritiae accusaverunt, quia, ex Iesuitarum sententia, quae iure Gaspar Núñez Societati reliquerat Dominicani inique eis surripuerunt⁶³. Inde certamen inter duos ordines exordium cepit, quod principio non ad doctrinam Sancti Thomae pertinebat, sed ad subsidia et pecuniam necessariam ut utraque Collegia sua in Universitates mutare posset.

Initio auctoritates cito conatae sunt quaestionem dirimere et utrique ordini Collegium suum sine gradu Universitatis exstruere permiserunt. Sic Dominicani Collegium Sancti Thomae exstruxerunt, Iesuitae illud Maximum. Res autem hic ad finem non pervenit, nam decursu annorum lis inter ordines, pluries redintegrata et dirempta, non prorsus composita est nisi saeculi XVIII principio⁶⁴. Exempli gratia, Paulus V utrique ordini discipulos suos qui studia in collegiis suis perfecissent diplomatis honorare anno 1619 concessit. Paulo post tamen Rex Iesuitis favere statuit et decretum Pauli V abolevit,

⁶² Julián Eduardo Sandoval Bravo, “Modernidades Coloniales: la obra de Juan Martínez de Ripalda (1641-1707) como respuesta Jesuita en la controversia universitaria Neogranadina del Siglo XVII”, *Universitas Philosophica* 32, n.º 65, 43.

Rivas Sacconi, *El Latin en Colombia*, 45-47.

⁶³ Sandoval, “Modernidades Coloniales”, 46.

Rivas Sacconi, *El Latin en Colombia*, 45-47.

⁶⁴ Restrepo, *La Compañía en Colombia*, 47-48.

immo vero effecit ut Gregorius XV Iesuitis solis hoc privilegium concederet⁶⁵. Ex quo privilegio, ut iam dixeramus, Universitas Xaveriana exordium cepit. Dominicani sane hoc aegre tulerunt, quocirca bellum diutius serpere perrexit. Quandocumque lis videbatur componi, non deerat quis crabrones irritaret et proelium sane redintegrabatur.

Hac de causa Dominicani paulatim et gradatim Societatem Iesu infidelitatis erga doctrinam Sancti Thomae accusare coeperunt⁶⁶. Quae accusatio non nova erat. Iam enim in Europa Frates Dominicani Iesuitas eiusdem rei increpuerant, nam ex eorum sententia, Iesuitae non ad unguem vestigia Doctoris Angelici premebant⁶⁷. Ambo ordines pro Patrono Sanctum Thomam habebant, uterque autem modo particulari doctrinam eius interpretabatur. Fortasse aliquid veritatis in his accusationibus fuit, nam haud secus quam ipse Ioannes de Ripalda, plerique homines Societatis fassi sunt se paulo discedere a doctrina Sancti Thomae ut firmiorem pontem inter eam et scientias novas exstruerent⁶⁸.

De cetero Iesuitae Novi Regni timebant ne, si auctoritates ecclesiasticae in Novo Regno Dominicanis fidem tribuerent, duae res acciderent. Primum ne numerus discipulorum in Collegiis suis minueretur, nam nonnulli discipuli praeferebant eodem loco studia minora et maiora perficere quam perfectis studiis minoribus et accepto insigni magistri in Collegio Societatis Iesu in illud Dominicorum lares transferre et illic periculum methodi novae facere⁶⁹. Quia, ut iam patet, uterque ordo Sancti Thomae doctrinam, quem

⁶⁵ Sandoval, “Modernidades Coloniales”, 47-48.

⁶⁶ Sandoval, “Modernidades Coloniales”, 57.

⁶⁷ O'Malley, *Saints or Devils Incarnate?*, 61.

⁶⁸ Marquinez, “El Maestro Neogranadino”, 28-29, 45.
Sandoval, “Modernidades Coloniales”, 61.

⁶⁹ Sandoval, “Modernidades Coloniales”, 59.

pro Patrono ambo ordines habebant, suo modo interpretabatur. Dein ne, si diplomata olim concessa commenticia haberentur et tum abolerentur, discipuli laurea honorati a muneribus publicis aut ecclesiasticis arcerentur⁷⁰. Quicumque enim muneribus maximis in Novo regno fungi volebat, quodam tempore insigne doctoris adipisci debebat. Hac de causa ambo ordines volebant principatum in discipulorum educatione adipisci ut dein freti discipulis a se laureatis, auctoritatem et decus sibi vindicarent necnon numerum discipulorum augerent.

Sic Ripalda anno 1662 ab Hispania profectus ad Americam in medias res disputationis pervenit. Coepit theologiam anno 1677 docere et hoc munere functus est tres per annos quoad regressus in patriam suam, opem ferre coepit Societati Iesu. Sic Matriri Ripaldae in animo fuit rogare ut Societati privilegium discipulos eius diplomatis honorandi concederetur⁷¹. Quod quidem iam Senatus Indiarum Iesuitis permiserat, sed nolentes Iesuitas aemulos ob exiguitatem discipulorum in urbe adhuc parva perpeti, Dominicani conati sunt eos impedire quominus hoc privilegium impetrarent⁷². Ut accusationes ab ipsa Societate Iesu arceret, Pater Ioannes Martínez de Ripalda Opus nomine *De usu et abusu doctrinae Divi Thomae* anno 1704 in lucem edidit. Quod quidem opus constat ex mammotrectis quibus omnia, quae Ripalda philosophiae et theologiae magister discipulos suos docuerat, continebantur.

Paucis post mensibus Ripaldae relatum est Societatem Iesu iam posse scholas maiores theologiae discipulos suos docere⁷³. Ambo ordines donare discipulos suos

⁷⁰ Sandoval, “Modernidades Coloniales”, 44.

⁷¹ Marquínez, “El Maestro Neogranadino”, 21-22.

⁷² Restrepo, *La Compañía en Colombia*, 47.

⁷³ Marquínez, “El Maestro Neogranadino”, 23.

diplomatis perrexerunt, quoad Iesuitis anno 1767 ex America depulsis discipuli Collegii Sancti Bartholomaei studia maiora in Collegio Sancti Thomae aggredi coeperunt⁷⁴. Quod Collegium iam pro Universitate Sancti Thomae in Sancta Fide habebatur ab anno 1630⁷⁵.

Ut summatim et generatim dicamus, opus vero illud non attinet, ut credi potest, ad optimum usum doctrinarum Sancti Thomae. Verum propositum huius operis fuit demonstrare neque Universitatem Xaverianam neque Societatem Iesu a bona doctrina Sancti Thomae excidisse. Quin immo eos qui se de magna fidelitate erga hanc doctrinam iactarent saepenumero ab ipsa aberrare⁷⁶. Proh dolor, haec disputatio inter duos ordines toto saeculi XVII spatio duravit, et non cessavit quoad tempore procedente duplici decreto regis, primum 1701 et dein 1704, utrique ordini discipulos suos diplomatis honorare est concessum⁷⁷.

Iam enim cur lingua Latina in America sit digna studio et quemadmodum docti ea usi sint ut informarent Provinciam et mentem iuvenum qui postea rectori erant ipsam Provinciam, quod promiseramus exsolvimus. Lingua Latina ergo fuit fundamenta super quibus sedes institutionis et educationis sunt positae. Quicumque quomodo homines tum cogitaverint et scripserint, intellegere velit, debet primum adipisci scientiam huius linguae ante quam dein liceat evolvere codices necnon opera in quibus innumera arcana de Historia Columbiae necnon Americae Hispanae inveniri possunt.

⁷⁴ Rivas, *Historia Latín en Colombia*, 50.

⁷⁵ Rivas, *Historia Latín en Colombia*, 47.

⁷⁶ Pacheco, *Los Jesuitas en Colombia: Tomo III*, 425.

⁷⁷ Marquínez, “El Maestro Neogranadino”, 22.

Ripalda fuit philosophus peritus et cultor satis scitus Latinitatis. In opere eius narrantur nonnulla quae pertinent ad Universitatem quae multa per decennia meliores mentes Columbiae necnon aliarum regionum orbis terrarum in sinu suo accepit. Hac de causa opus eius meretur inter opera Latine in Columbia scripta numerari, immo vero inter optima opera auctorum recentiorum. *De usu et abusu doctrinae Divi Thomae* vere opus fuit quod perhibet testimonium de hominibus qui quamvis extra fines Europae linguae Latinae studuerint, ad unguem eam didicerunt. Itaque in proximis capitibus videbimus quomodo decursu annorum nonnulli homines exstiterint qui linguam Latinam quoque perite coluerint et opera scripserint, quibus indolem litterarum in Columbia informarent. Dein, tempore procedente, videbimus quomodo ipsa Latinitas ab scholis, in quibus olim maximis privilegiis erat fructa, depelli coeperit.

CAPUT ALTERUM: DE ABORIGINIBUS IN SCRIPTIS LATINIS NOVI REGNI

De vita Andreae De Sancti Nicolai

In Opere suo nomine *Planctus Passerculi solitarii* Andreas de Sancto Nicolae affectavit sententias quae penitus redolent Augustini confessiones. Sic ex omnibus auctoribus qui tum in Novo Regno floruerunt, Andreas fuit praeter Fernandum de Valenzuela, quoque Andreae familiarissimum, omnium praeclarissimus et, ut nonnulli tum dicebant, inter peritiores linguae Latinae. Decursu autem temporis, quamvis notitia de vita Fernandi paene oblivione obrueretur, fama tamen Andreae in diem percrebescebat⁷⁸.

Nonnulla quae ad originem eius pertinent adhuc incerta nobis sunt. Exempli gratia, nescimus quomodo vulgo appellatus esset Andreas, et quamvis pro certo habeamus eum natum esse in Columbia, anceps tamen est notitia loci ubi natus sit.

Diutius disputatum est de loco eius incunabulorum, nam incertum erat utrum vir Tunxae an Bogotae esset natus. Multi sunt qui hac de re aliquid dixerint. Inter omnia testimonia Rivae, Buitragi, necnon illud Salazar maioris momenti videntur, nam ii rationem habuerunt omnium doctorum qui conati sunt hanc quaestionem dirimere. Rivas asseruit Tunxam esse locum incunabulorum Andreae fretus investigationibus virorum sicut Flórez Ocariz, Leonis Pineli et praesertim Nicolai Antonii⁷⁹. Nicolaus Antonius exempli gratia natus est eodem anno quo Andreas et opus nomine *Bibliothecam Hispanam Novam* scripsit

⁷⁸ Rivas, *El Latín en Colombia*, 155.

⁷⁹ Rivas, *El Latín en Colombia*, 156.

quo Andream *Americum ex Tunxa* appellat⁸⁰. Rivas fidem tribuit huic testimonio nam Nicolaus Antonius Romam pervenit eodem tempore quo Andreas unum ex operibus suis illic in lucem edebat. Quare fieri potuit ut amicitia inter eos facta Nicolaus Andream de nativitate eius interrogaret⁸¹. Secundum indicem defunctorum Matrity, Andreas natus est Sancta Fide, sed Rivas parvi pendit documentum hoc, nam difficile erat pro certo habere quale esset illud.

Salazar quoque rationem habuit omnium rerum de nativitate Andreae de quibus Rivas aliquid retulerat, sed contra quae ipse Rivas erat opinatus, Salazar Sanctae Fidei favit. Salazar enim, praeter rationem documentorum quorum Rivas mentionem fecerat, habuit bonam fortunam Andreae documenti baptismalis inveniendi⁸². Quo in documento perspicue duae res visui patebant, i.e. et annus natalis Andreae et locus nativitatis eius. Quod quidem quoque legi poterat, ut supra dictum est, in indice defunctorum Matrity. Quare quamvis non prosus possimus scire utrum documenta vera sint necne, melius est fidem praestare documentis testimonium perhibentibus de re quaesita quam de omnibus

⁸⁰ F. ANDRES DE S. NICOLAE, *Americus ex Tunja Peruanus regni oppido, Augustinianorum Reformatorem sodalis, cum hac scribimus collegii Complutensis rector suaeque Reformatorem congregationis chronographus, scripsit dum Romae conversaretur: Sicut legitur apud BIBLIOTHECA HISPANA NOVA Sive HISPANORUM SCRIPTORUM QUI AB ANNO MD. AD MDCLXXXIV. FLORUERE NOTITIA. AUCTORE D. NICOLAO ANTONIO HISPALENSIS I.C. Ordinis S. Iacobi equite, patriae Ecclesiae canónico, Regionum negotiorum in Urbe / Romana curia procuratore generali, consiliario Regio. NUNC PRIMUM PRODIT RECOGNITA EMENDATA AUCTA AB IPSO AUCTORE.*

⁸¹ Rivas, *El Latín en Colombia*, 157.

⁸² Fray José Abel Salazar, ORSA, "Fray Andrés de San Nicolás: Datos Complementarios para su Biografía", *Thesavrus* 10, n.º 1-3 (2023): 145.

his dubitare. Tum demum Buitrago recensione quaestionis usque ad tempus suum contentus neutri civitati palmam donat⁸³.

Pro certo autem habemus annum eius nativitatis 1617 fuisse propter quosdam versus in quibus ipse nobis retulit se 47 annos natum esse cum eos anno 1664 scriberet⁸⁴.

*Est viae nobis iam quadragesimus annus
Septimus ac, mortis spicula dum veniunt,
Mille fluit Christi, complendo mensibus Orbem,
Sexcentum, et quatuor, nunc quoque sexdecies*⁸⁵.

Genitus fuit a parentibus nobiles qui paulo post infantem iam sacris aquis respersum exposuerunt, ut constat apud documenta baptismalia, ad portam cuiusdam matronae nomine Dominae Blancae de Vargas⁸⁶. Hac de causa, ut dixeramus, docti nonnulli credunt eum non natum esse Tunxae sed in Sancta Fide Bogotae. At hoc pro certo nondum habetur, nam fieri potuit ut infans paulo antea Tunxae natus cito afferretur in Sanctam Fidem ut dein illic baptizaretur.

Constat eum pueritiam egisse in Sancta Fide litterasque in Collegio Sancti Bartholomaei discere coepisse. Illic semper numeratus fuit inter optimos discipulos Collegi et amicitiam inivit cum Fernando illo de Valenzuela qui quasi alterum lumen fuit a quo, ex Rivas Sacconi sententia, litterae Latinae in Columbia exordium ceperunt⁸⁷.

⁸³ Buitrago, Introducción, XIV-XX

⁸⁴ José Manuel Rivas Sacconi, *El Latín en Colombia*, 157-158.

⁸⁵ Salazar, “Fray Andrés de San Nicolás”, 139.

⁸⁶ Salazar, “Fray Andrés de San Nicolás”, 144-146.

⁸⁷ Buitrago, Introducción, XX-XXI; Rivas Sacconi, *El Latín en Colombia*, 158-159.

Peractis humanitatis artiumque in Collegio studiis, adulescens statuit annos natus XV illecebras mundi ab animo suo arcere et, carnis cupiditates procul a se abiciens, nomen coenobio Solitudinis Candelariae (*Convento del Desierto de la Candelaria*) sua sponte dare. Illic multos per annos mansit quoad iter fecit in Hispaniam ut finem Studiis philosophiae et theologiae imponeret. Verumtamen hic quoque incertum est utrum ille lares transtulerit illuc ut perficeret studia, an potius ut perfecta corroboraret adaugeretque. Buitragus credit eum adhuc in conventu Candelaria intra annos 1641 et 1642 interesse. Quamobrem non pro certo habetur utrum creatus esset sacerdos ante quam iter in Hispaniam faceret, nam satis temporis ei fuit in Columbia ut studia ecclesiastica perficeret et sacerdos ordinaretur⁸⁸.

In Hispania autem, cum perspicue omnibus pateret eum exemplar refulgens sapientiae, frugalitatis, et humanitatis esse, fama eius mox percrebuit⁸⁹. Omnes, qui opportunitatem habuerint eum in Hispania cognoscendi, testimonium perhibuerunt de benevolentia, sobrietate et simplicitate quibus ipse vitam degeret. Nam tali indole praeditus erat ut ipse semper affabilis, urbanus et humilis esse videretur omnibus qui fortunam eum audiendi habuissent⁹⁰. Ipse Andreas nonnumquam recusavit munera ecclesiastica quae, eius quidem iudicio, nimis multum distabant a beata paupertate qua vitam suam debebat⁹¹. Mortuus 49 annos natus est in quodam coenobio Matriti die vigesimo mensis Novembris, anno 1666⁹².

⁸⁸ Buitrago, Introducción, XXI, XXVII-XXXI.

⁸⁹ Buitrago, Introducción, XXXII.

⁹⁰ Buitrago, Introducción, XXXIII.

⁹¹ Buitrago, Introducción, XXXIII et XXXV

⁹² Buitrago, Introducción, XXXV.

Ille non tantum Hispanice et Latine scivit, quin etiam Francogallice, Italice, Graece necnon linguam aboriginum Novi Regni nomine Chibcham didicit. Ex his, pro certo habemus eum in studium linguarum et Latinae et Hispanicae a pueritia incubuisse. Rivas asseruit eum Francogallice et Italice didicisse cum iam aetate provector vitam ageret in Europa⁹³. Quantum ad linguam aboriginum attinet, tum nonnulli antistites Christi erudiebantur in una ex linguis Indigenarum ut postea evangelium ipsis aboriginibus praedicarent. Quoad scimus autem, ille numquam docuit fidem Christi Indigenas. Non fuit ei umquam satis temporis, nam, ante quam numquam in Americam rediturus lares in Europam transferret, ipse aetatem in studio litterarum iam consumpserat. Ille fuit ob scientiam qua erat praeditus quam maxime praeclarus⁹⁴.

De operibus

Nonnulla opera scripsit cum Hispanice tum Latine, sed praesertim Latinis ille famam egregii auctoris debet qua fructus est adhuc vivus. Et quamquam breve faciemus summarium omnium quae duabus linguis Andreas scripsit, tamen tantum in duobus ex operibus Latinis inmorabimur.

Hispanice ergo scripsit *Tesoro de Palaermo y su Monte Pellerino* (1655); *Apología de la descalcez agustiniana contra el maestro Carlos Moreau* (Opus imperfectum); *Designios del índice más dichoso* (1656); *Imagen de Nuestra Señora de Copacabana portento del Nuevo Mundo, ya conocido en Europa* (1663); *Historia General de los religiosos descalzos de la Orden de los Ermitaños del Gran Padre y Doctor de la Iglesia*

⁹³ Rivas, *El Latín en Colombia*, 160.

⁹⁴ Buitrago, Introducción, XXXIII-XXXIV.

S. Agustín de la Congregación de España y de las Indias (1664); *Alabanzas de María Santísima Nuestra Señora* (Opus excisum).

Litteris autem Latinis haec et plura mandavit, nam tum constabat eum melius Latine quam Hispanice scribere⁹⁵. Quamobrem, fama facultatum suarum longe lateque diffusa, ipse Andreas meritus est in vita cognomine *La más aventajada pluma del Nuevo Reino*, i.e. *calamus omnium expeditissimus in Novo Regno*⁹⁶. Sic Latine non tantum scripsit de his ad Res Gestas pertinentibus, sed de affectibus animi et carnis, de votis et desideriis suis, necnon de itineribus ordinis sui. Inter haec quae Latine finxerit numerari possunt *Funiculus triplex privilegiorum fratrum Discalceatorum, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Congregationum Hispaniae, Italiae et Galliae, deductus ex originalibus et authenticis trasuntis* (1664); *Rituale seu manuale fratrum excalceatorum strictioris observantiae Ordinis Eremitarum Sancti P. Augustini Congregationis Hispaniae et Indiarum. Denuoarctum, et correctum iuxta Romanae Ecclesiae usum, et eiusdem Ordinis Consuetudinem* (1664); *Et Compositiones Latinae nonnullae*. Omnium autem operum quae Latine exaravit maximi momenti fuere illa nomine *Passerculi solitarii planctus sive peccatoris ad Dominum conversio* (1654) et *Proventus messis Dominicae Excalceatorum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini. Congregationis Hispaniae labore perceptus* (1656). De utroque paulo amplius dicemus, antequam animum nostrum ad haec, quae de Columbia in Proventu scripsit Andreas, penitus dirigamus.

⁹⁵ José María Vergara y Vergara, *Historia de la Literatura en Nueva Granada*, (Bogotá: Biblioteca Básica de Cultura Colombiana, 1867), 173.

⁹⁶ José Manuel Rivas Sacconi, *El Latín en Colombia*, 88.

Ut vidimus in capite primo, paene omnia tum Latine scripta in regione quae hodie appellanda est Columbia ad res universitarias, et in primis ad scholasticam pertinebant. Andreas ergo, nisi primus, fuit tamen inter primos qui tum in Novo Regno animi gratia operam litteris a rebus universitatis penitus semotis darent⁹⁷. Opus quod primum edidit in lucem Romae anno 1654 fuit *Passerculi solitarii planctus sive peccatoris ad Dominum conversio*. Opus divisum est in capita aut in planctus quinque quibus singulis est plusminusve eadem magnitudo⁹⁸. Sic omnes planctus partem diei sibi accipiunt, i.e. planctus matutinus, antemeridianus, meridianus, vespertinus necnon serotinus. Peractis planctibus auctor operi addidit quinque carmina quorum nomina sunt: *Super psalmum quinquagesimum: Miserere mei Deus secundum magnam miserericordiam tuam ad mentem M.P. Augustini. Hymnica et luctuosa passerculi plangentis in cytara Crucis Christi decantatio; Threni humiles peccatoris in tribulatione positi et ad Deum pro venia obtinenda recurrentis; Rhythmus ad beatissimam Virginem Mariam, praecipuam peccatoris cuiusque protectricem; Dulcissimo Augustino Patri. Divo Nicolao de Tolentino*⁹⁹.

Fundamenta totius operis auctor posuit in sententia Augustini: *Tuta, et firma requies est infirmis, et peccatoribus in vulneribus Salvatoris. Securus illic habito*¹⁰⁰. In opere suo Andreas agit partes passerculi qui quasi imago animae hominis ad arborem crucis Christi advolat ubi sperat se inventurum veniam peccatorum suorum et quietem sibi. Sedens ergo passerculus in ramis arboris, fatetur omnia quae decursu vitae suae peccata

⁹⁷ José Manuel Rivas Sacconi, *El Latín en Colombia*, 87-88, 94, 162, 169-170.

⁹⁸ Buitrago, Introducción, CI.

⁹⁹ Buitrago, Introducción, LXXXIX-XCII.

¹⁰⁰ Buitrago, Introducción, LXIX.

patraverit antequam se fidei Christi tradiderit et a tergo scelera reliquerit. Passerculus ergo dum pipiat, clamat ad caelum ut peccata sua remittantur. Quare textae cum clamoribus quos pipians passerculus ad caelum mittit, audiuntur preces et laudes quae usque ad aures Dei in caelo tolluntur. Quem quidem Deum Andreas extollit, nam iniquitates quibus passer olim premebatur sanguine suo lavat et dimittit. Quem scopum ut attingat, vulnera, quae Christus passus est in cruce, inveniri possunt in ramis illius arboris¹⁰¹. Decursu ergo diei passer in unoquoque planctu singillatim visitat omnia vulnera. Primum devolat ad vulnus cruris dextri, dein sinistri, tertium brachii sinistri, postea ad dextri, et ad extremum autem se ipse adegit ad latus.

Non describemus singulos planctus, i.e. singula capita operis, nam talia facere excedit facultates quibus nunc praediti sumus. Pauca autem addemus. Ut iam diximus in principio huius capituli, Andrea optimum cultorem Augustini se praebuit, nam valuit conficere textum oratione soluta in quo ipse videtur Augustini vestigia premere. At non tantum quod ad modos scribendi attinet ille Hiponensem imitatus est, nam re vera Andreas videtur illic cum in stilo, tum in argumentis mentem Augustini induisse. Et praeter nonnullas citationes ex sacris scripturis depromptas, inveniuntur hic et illic argumenta Augustini necnon auctorum antiquitatis quae sparsim et intercise per paginas operis disseminata cogitationes Andreae corroborant. Sed in marginibus paginarum operis Andreae ne unam quidem citationem invenire licet. Quare incertum est quot citationes ex operibus auctorum antiquorum ipse auctor deprompserit ut ornaret opus suum. Praeter hoc Andreas sententias et argumenta auctorum antiquorum non integra conservat neque, cum

¹⁰¹ José Manuel Rivas Sacconi, *El Latín en Colombia*, 162.

eas in textu suo adhibet, in marginibus paginarum lectores certiores his de rebus facit. Ille tamen argumenta et sententias auctorum antiquorum retractat et moribus Christianis aptat ut dein ei liceat omnia inserere in paragraphis operis sui.

Apud Sallustium, exempli gratia descriptio de moribus Populi Romani inveniri potest. Secundum enim Sallustium mores Romanorum ex optimis pessimi facti sunt propter divitias quae deleta Chartagine nimis cito in urbe creverunt. Tum demum, quae antea bona a hominibus habebantur, parvi penduntur et animi quae olim omnia perpeti valebant, hebetiores facti sunt propter illecebras pecuniae:

[10] 1 Sed ubi labore atque iustitia res publica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperi Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant, saevire fortuna ac miscere omnia coepit. 2 Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium divitiaeque optanda alias, oneri miseriaeque fuere. 3 Igitur primo imperi, deinde pecuniae cupido crevit: ea quasi materies omnium malorum fuere. 4 Namque avaritia fidem, probitatem ceterasque artis bonas subvortit; pro his superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit. 5 Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestumare magisque voltum quam ingenium bonum habere. 6 Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari; post, ubi

*contagio quasi pestilentia invasit, civitas inmutata, imperium ex iustissimo
atque optumo crudele intolerandumque factum*¹⁰².

[11] 1 *Sed primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat,
quod tamen vitium propius virtutem erat. 2 Nam gloriam, honorem,
imperium bonus et ignavus aequae sibi exoptant; sed ille vera via nititur,
huic quia bonae artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. 3 Avaritia
pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit: ea quasi venenis
malis inbuta corpus animumque virilem effeminat, semper infinita,
insatiabilis est, neque copia neque inopia minuitur. 4 Sed postquam L. Sulla
armis recepta re publica bonis initiis malos eventus habuit, rapere omnes,
omnes trahere, domum alius, alius agros cupere, neque modum neque
modestiam victores habere, foeda crudeliaque in civis facinora facere*¹⁰³.

Andreas Sallusti argumenta cepit et inserit ea in paragraphis suis, sed, ut diximus, non integrum servat fragmentum. Ille primum retractat omnia et aptat rationi Christianae. Sic iam non populum Romanum avaritiae increpat, sed Christianorum qui virtutem a tergo reliquentes divitias persequi coeperunt:

*Fatalia damna ex opibus (non vero ex virtute, aut aequitate) intulit acceptio
Personarum: quæ imperia vastata, Regnaque delugent: & merito sane: quia
flebilem huiusmodi perniciem necesse est, muto, incessabilique clamore,
insensibiles creaturas assignare: vt vitio suo Respublicæ noscantur*

¹⁰² Sallust., B.C., 10.

¹⁰³ Sallust., B.C., 11.

*periuisset. Florebant plurimi quandoque populi, cum æqua trutina, virtutes & præmia pensabantur: sed cum aurum, & argentum, bonorum iactura, præmiis se iunxerunt: virtutes, tanquam parvi essent ponderis, non pauci mortales minimo æstimarunt: & opes, præmiaque conglutinarunt*¹⁰⁴.

Ut decet virum qui aetatem in studio litterarum absumpserat, Andreas non tantum auctorum Latinorum fragmentis usus est in opere suo, nam quoque hic atque illic argumenta invenire licet quae auctorum Graecorum sententias redolent. Quorum sententiae et dicta tam melliflue intertexta argumentis eius sunt ut vix iudicari possit utrum Andreas ipse haec finxerit an deprompserit.

Hic exempli gratia habemus sententiam ab opere Marci Aurelii depromptam ubi imperator asseruit sapientem esse quasi rupem quae, quamvis undae oceani se magna cum vi contra ipsam proiciant, incolumis maneat. Andreas cepit sententiam, et illam retractat. Sed quamquam formam argumenti paulo mutet, Andreas tamen conservat imaginem viri iusti qui virtute praeditus et instar scopuli undis percussi iniurias Mundi ad se inlatas patitur. Andreas autem in suo opere iam non loquitur de sapiente aut de philosopho, sed de pauperibus Christianis quibus Mundus laqueos nonnumquam inicit. Pauperes autem Deo freti et gladio precationis accincti animo aequo talia tolerant. Secundum Marcum Aurelium vir iustus animo aequo quaecumque ei casu acciderint tolerare debet. Apud Andream autem iustum non quae casu eveniant perpeti oportet, sed quaecumque Mundi iniquitatis causa ei

¹⁰⁴ Andreas de Sancto Nicolao, *Passerculi solitarii planctus sive peccatoris ad Dominum conversion*, 64.

obviam eant. Agitur de eodem argumento, sed Andreas non philosophice sed Christiane et theologice illud in opere suo tractat:

*Ὅμοιον εἶναι τῇ ἄκρᾳ, ἣ διηνεκῶς τὰ κύματα προσήσεται· ἡ δὲ ἔστηκε, καὶ
περὶ αὐτὴν κοιμίζεται τὰ φλεγμῆναντα τοῦ ὕδατος¹⁰⁵.*

*Denique sunt pauperes rupes resistentes, vbi Mundus fluctuum suorum
furores aspere despumat¹⁰⁶.*

Ut aspici licet in his duobus fragmentis, Andreas ex pera Sallusti et Marci Aurelii argumenta deprompsit quae postea, quamvis deminuta, materiae Christianae et sui operis argumentis aptavit. Haec argumenta ergo inclusa latent in paragraphis operis Andreae, nam ille numquam decursu operis lectores certiores facit de iis neque umquam quicquam de iis in marginibus paginarum scripsit ut lectores ad ea animum dirigant.

In praefatione sua Rubinus Buitragus ex ordine redegit indicem refertum sententiis quas Andreas ex sacris scripturis deprompserat ut in opere suo insereret¹⁰⁷. Nondum autem pro certo habemus quot seu Augustini seu auctorum classicorum sententiae clam hic sint, nam in marginibus operis non est ulla mentio eorum. At his perspicuum est esse citationes auctorum veterum intertextas dictis sententiisque Andreae. Quae quidem omnia, quamvis digna studio sint, non est hic locus ut his de rebus profuse discurremus, nam pro tempore omnia haec hic explicare nimis multum distat a proposito quod ipsi a principio huius operis

¹⁰⁵ Marcus Aurelius, *Earum quae ad se ipsum*, 4.49. Velimus hic afferre interpretationem quamvis rudem satis accuratam huius fragmenti quo lectores facilius similitudinem quae inter duas sententias exstat, intelligere queant: *Simile esse rupi contra quam undae constanter proiciuntur. Illa quidem stat, et circum ipsam iacet spuma maris.*

¹⁰⁶ Andreas, *Passerculi solitarii planctus*, 62.

¹⁰⁷ Buitrago, Introducción, XCV-XCIX.

statueramus aggredi. Brevem autem mentionem his de rebus hic fecimus ut aperiremus semitam per quam speramus fore ut aliquando sine ambagibus nobis longe planeque his de rebus inquirere liceat. De his igitur hactenus.

**Proventus messis Dominicae Excalceatorum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini.
Congregationis Hispaniae labore perceptus (1656).**

Pauca de forma et argumento operis ante dicemus quam fragmentum quod elegeramus, aggrediamur. Opus Andreas dicavit Papae Alexandro VII qui munere accepto auctorem reliquiis nonnullis donavit quae postea collocatae sunt in Ecclesia Copacabanae¹⁰⁸. Quam quidem Ecclesiam Augustini Excalceati Matrity habebant¹⁰⁹. In hoc opere Andreas voluit canere Res Gestas ordinis sui i.e. Augustinorum Excalceatorum qui volentes fidem Christi propagare per totum orbem terrarum passi sunt innumeros cruciatus, tormenta et supplicia ut semen Evangelii sereretur, sicut ipse auctor nobis refert in paucis quae legenti scripsit:

*...nos in lucem proferre libentissime; non alio fine: nisi eo, quem sequi, fas est: notum, scilicet, facere nostrorum Fratrum in Propaganda Fide servorum, & eorum, hac de causa, in aerumnis, tormentis, mortesque, constantiam: ut fidelium aedificatione, magis honorificetur Deus, a quo haec omnia bona procedunt*¹¹⁰.

¹⁰⁸ Buitrago, Introducción, XLV.

¹⁰⁹ Buitrago, Introducción, L.

¹¹⁰ Andreas de Sancto Nicolao, *Proventus messis Dominicae Excalceatorum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini. Congregationis Hispaniae labore perceptus, Legenti.*

Quod quidem opus tam gratum fuit principibus ordinis eius ut inter monachos Ordinis Augustinorum Excalceatorum illud haberetur, sicut olim Livius de opere suo dixerat, pro carmine oratione soluta scripto¹¹¹.

Quantum ad formam attinet, opus divisum est in decem capita quae ipse auctor fasciculos vocat. His in fasciculis Res Gestae Ordinis in Asia et in Novo Mundo narrantur. Sic confecto prooemio, primo fasciculo narratur initium itineris Francisci Loyolae cum fratribus in terras Americanas.

In Secundo autem manipulo est descriptio morum et disciplinae aboriginum. Non multum morabimur hic nam, sicut supra dictum erat ubi pauca retulimus de *Planctu Passerculi Solitarii*, nihil nisi necessaria recenserebimus ut, prospectu totius operis capto, lectoribus pateat quid Andreas scripserit et quas res illic ipse tractaverit. Hic nobis quoque est in animo monstrare quemadmodum Andreas usus sit descriptionibus Gallorum quae inveniri possunt apud Caesarem ut ipse mores aboriginum Americanorum depingeret:

*Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica et sumptuosa; omniaque quae vivis cordi fuisse arbitrantur in ignem inferunt, etiam animalia, ac paulo supra hanc memoriam servi et clientes, quos ab eis dilectos esse constabat, iustis funeribus confectis una cremabantur*¹¹².

Solemni pompa efferebant cadauera nobilium, sepulchro commendantes ipsa, servum unum, quem secum a pueritia nutritum defunctus, vinculis

¹¹¹ Pedro Fabo del Corazón de María, *Historia de la Provincia de Nuestra Señora de la Candelaria*, vol. 2 (Madrid: Imprenta Del Asilo de Huérfanos Del S.C. de Jesús, 1914), 89.

¹¹² Caesar, *De Bello Gallico*, 6.19.4-5.

*amoris, in oculis gestauerat, similiter, humo iniecta, vivum contegebant: ut
ibi exhiberet mortuo seruitutem*¹¹³.

Decursu operis licet inveniri nonnullas sententias quae auctores antiquos redolent. Sed praeter argumenta auctorum classicorum quae Andreas inmutavit et aptavit ut opus suum locupletaret, in ceteris manipulis sunt et aliae notitiae quas, dignas nimirum studio, mox referemus. In manipulo ergo tertio Andreas fecit mentionem duarum feminarum ex nobili genere. Primum cuiusdam mulieris nomine Caliman quae superstitionibus maiorum abiuratis, se penitus fidei Christi dedit et aquis respersa sacris novum nomen Clarae sibi assumpsit. Dein alterius feminae cui nomen Elizabethae datum est. Utraque marito defuncto gregi Mantellinarum Ordinis se tradidit¹¹⁴. Quandocumque Andreas facit mentionem de mulieribus, eas veneratur et paene usque ad caelum tollit. Sicut Romani de mortuis, Andreas de mulieribus nihil nisi bona.

In manipulo quarto Andreas narrat nonnullas fabulas pertinentes ad Mahometanos qui quoque incolebant insulas Philippinas. Dein refert quomodo se gesserint erga Christianos quoad ipsi Mahometani a finibus huius regionis sunt depulsi.

In manipulo quinto usque ad octavum narrantur quae in Iaponia Christianis evenerint cum monachi excalceati primum illuc pervenissent. In manipulo quinto res gestae et persecutiones inveniuntur quas servi Christi passi sunt illic evangelium praedicantes. In sexto autem manipulo index martyrum Iaponicorum qui tum tormenta et supplicia passi sunt conficitur. Dein in septimo manipulo auctor paulo amplius discurrit de his, quae

¹¹³ Andreas, *Proventus messis Dominicae*, 2.41-42.

¹¹⁴ Andreas, *Proventus messis Dominicae*, 2.64-65, 68-69.

quamvis pessima, servi Christi tum perpassi sunt pro evangelio. Manipulus octavus carmen illud dimetro iambico de Maria Magdalena Nangasakii continet quod Andreas scripsit ut tormenta quae ipsa Maria pro Christo passa est commemoraret. In Manipulo nono res, quas Pater Rodericus de Sancto Michaeli per varias regiones Asiae gessit, narrantur. In novissimo autem omnium manipulorum descriptio aliquot regionum Novi Regni Granattensis, hodie Columbiae legitur. Hac de re mox aliquae dicemus.

De editione textus

Haud aliter atque primo in capite thesis fecimus, pauca nobis de editione textus praesenti dicenda sunt. Opus nomine *Proventus messis Dominicae Excalceatorum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini. Congregationis Hispaniae labore perceptus* anno 1656 Romae editum divisum est, ut dixeramus, in decem manipulos vel capita. Nos fragmentum quoddam ex capite decimo hic afferre statuimus. Latine non nisi una editio umquam in lucem data fuit. Quod ad interpunctionem et orthographiam attinet, quoad potuimus, conservavimus, sed non infitias ibimus nos pauca hic atque illic mutavisse. Diphthongos quoque et litteras grandes quas auctor adhibuit in editione anni 1656 retinimus, necnon interpunctionem. Sed spatia quae nonnumquam exstant inter ipsam interpunctionem et verba quae eam antecedunt delevimus. Sic pro “advocavit :” aut “vidit :”, nos “advocavit:” et “vidit:” retulimus.

Quantum ad semiconsonantem “j” attinet, auctor sua sponte “i” pro “j” semper scripsit. Hac in re numquam quicquam mutandum fuit. Nihilominus, quandocumque ille semiconsonantem “V” pro vocali “U” sicut in “Vbi”, “Vt”, “Vraba” scripsit, nos “Ubi” “Ut” “Uraba” reddidimus. Tantum eum scribere “V” passi sumus quandocumque de

semiconsonanti ante vocalem sicut in “vidi”, “conversio”, “convicinus” vere agebatur. Auctor accentum circumflexum super litteris verborum et primae et secundae declinationum in ablativo retulit, nobis autem hoc supervacaneum visum delevimus. Praeter hoc, Andreas scripsit apicem gravem super praepositionibus sicut “à” et “è”, neque nos hoc conservamus. Ceterum auctores saeculorum et XVI et XVII solebant “m” et “n” litteras adimere et pro eis “-” collocare super vocalem quae “m” aut “n” antecedebat, nos autem conservare formam verborum hodiernam volumus. De mutationibus in editione nostra hactenus.

Fragmentum

Ex capite decimo

Pater etiam Ildefonsus de Cruce illorum Conventuum aggregationem vidit: dum ab anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto in conversione gentium Provincia de Uraba distractus esset. Iacet ipsa ad Oceani extremas oras, inter Charthaginem, & Portubellum, tam fructuum, quam metallorum ferax. Sex habet alias Provincias convicinas, magna
5 gaudentes ubertate, dumosis circumseptas montibus, ac etiam latis florentes agris, aptissimis humano usui. Belligeros producit incolas, qui diversis utuntur ritibus; & non omnes hominum manducant carnes; nec Daemoni sacrificia offerunt. Nulla apud eos notitia de poena, aut gloria aeterna: hoc tamen iudicant solummodo quod, post mortem, in quemdam altum montem pergunt, ut ibi aliquomodo laentur.

10 Eorum sacerdotio foeminae funguntur, quae solummodo nubunt nobilioribus: hique duas, vel tres uxores habere consuescunt: inter quas primo habita tenet primatum Matrimonii, filiique eius succedunt iure haereditario. Ars praecipua, qua instruuntur

omnes, est sagittis collimare; ut ad praelium industrii inveniantur: itaque pene ab ineunte
aetate, parvulum arcum, pharetram, & sagittas, iuxta tenerae aetatis vires, & potentiam,
15 praebent pueris: ut muscas, intendendo, perimant, sicque tam edocti in sagittando prodeunt,
ut mirum sit eorum in hac arte cernere peritiam. Sacerdotes ergo auguriis, sortilegiisque
communiter utuntur, ac sermonibus cum Daemone frequentibus, a quo semper oracula
recipiunt.

Nullum cadaver humo condunt, sed mortuum quemcumque tradunt igni: cineresque
20 Magnorum tantummodo reservant, quos, vertente anno, factis generalibus comitiis,
quadam potione, ex Indico tritico confecta immiscent: deindeque miseri bibunt
inhumaniter: certo tenentes, quod sic amoris eorum satisfaciunt: & ad augendas vires,
animumque maxime prodesse.

Perpetuo bellorum involvuntur aestu: & ut non impediatur mercatura, in cuiusque
25 Provinciae finibus, unam habent commercii deputatam aedem, in quam cuiusvis anno
determinato tempore, ex una Provincia Mercatores veniunt, ibique reponunt merces,
communi illarum assignato pretio, & eadem via revertuntur. Postea, similiter statuto
tempore, Mercatores ex finitima Provincia accedunt, ac acceptis mercibus, appositoque
pretio, magna fidelitate, recedunt: ut iterum adveniant, qui primo mercimonia attulerant, &
30 tollant, quod suum est. Hoc modo vitantes litigia, odiosae invicem nationes, suum absentes
quaestum, commercium, & negotium gerunt.

Huius ergo miserrimae gentis conditionem Alfonsus condolens, suorum obtenta
venia Superiorum, nullo hominum praesidio innixus, intravit solus in has indomitas
Provincias, et illis praedicavit Evangelium: in quo continuo munere, duobus elapsis annis,
35 unum tantum Dynastam magnae auctoritatis convertit ad fidem, et parvulos aliquos,

numero sexaginta, plus minusve, sacro expiavit fonte. Non concidit animo, unius hac solum conversione: sed orationibus instans, illarum animarum zelo, incoeptam praedicationem persecutus est.

Per totam Provinciam iam divulgata fama, Patrem Alfonsum ibi adesse, ad eum
40 convenerunt multi, ut, aut illa ditione pellerent, vel ipsum de medio, tollerent: duorum vero Magnatum defensus patrocinio, vivus, & incolumis mansit in Provincia, docens pueros Christianae rudimenta fidei: & sic ferocis gentis illius paulatim sibi conciliavit voluntatem, hacque perseverantia, ad Dei cognitionem Indorum octo millia attraxit.

Nec miraculum tali conversioni defuit. Quod statim referendo dabimus, postquam
45 aliqua ad hanc Missionem spectantia dixerimus. Curavit ergo primo Alfonsus habitatores illarum Provinciarum ad mutuam attrahere concordiam: ut facilius, & suavius posset ipsi tradere Evangelium: sed, omnibus aliis nimis repugnantibus, Provinciae de Uraba pace cum Evangelio accipere, fuit gratum. Ut sic Alfonsus huiusmodi pacem cum ea Provincia stabiliret, ex ipsa Regulum quemdam adduxit in Chartaginem, Magnum Chartaia
50 nominatum, qui ab istius Urbis Governatore, plausu magno susceptus, & amore: Catholici Regis nomine tractatus honorifice, ac in illius palatio fuit conductus, plurimisque donis exornatus, quae, in propria remeans, postea secum detulit.

Ibi, cum Alfonsus, & Regulus redirent, Crucis signum est erectum salutiferum: in
portu quodam (cui nomen de Sancta Anna, Alfonsus indidit.) Deinde in Chartaiae eiusdem
55 mansionem, quae Damachiel dicitur, omnes convenerunt: ubi ipse Regulus gentis suae coetum advocavit: a quibus habitae, ad multos dies durarunt, conferentiae, circa pacem, quam Chartagine subscripserat: in cuius adimplendis statutis, immemores promissi, dubitabant: an lex admitti deberetur Evangelica? Itaque in eo, quod commercium ipse cum

Hispanis ageret, maiori non displicuit gentilismi parti, a multis in hoc fautae nobilioribus:
60 ipsa vero Evangelium nolebat acceptare, iniecto impendentium malorum a Daemone
timore, cui Alfonsus firmis rationibus mederi procurabat: frustra tamen discutere, ab eorum
obscuris cordibus, volebat huiusmodi timorem, aeternis temporalia praeferebat. Omnis
demum supervacanea erat diligentia: itaque ipse Alfonsus ad tutissimum remedium
orationis appellavit: cum etiam in comitiis ipsis eum vita privare constitutum esset: quod
65 bis executioni mandare curaverunt; id tamen Deus, propter eorum salutem, noluit ita fieri,
sed ut eam ipsi Regulo donaret, huiusmodi suae benignitatis effectum demonstravit.

Cum enim Dynasta idem Chartaia, omnibus potentior aliis, instinctu Daemonis,
novos iam Christianos ageret: capite sanxit, Patrem Alfonsum a sua discedere provincia:
ut sic facilius, Christi fidem radicatus evelleret. Instabat edictum Reguli: cum rerum
70 omnium effector Deus illum gravi morbo afflixit: & quadam nocte itempesta, dum
doloribus ipse cruciaretur, unus, habitu, & forma Patris Alfonsi, cubiculum intravit, per
fenestram, eumque increpans severe, fuit ipsi minitatus mortem; nisi relegationis Dei
Ministrorum edictum abrogabat, & sententiam: eique suam oppignorabit fidem, quod si
Christum reciperet, & se baptizari, vellet, e morbo confestim emersurum: ac his dictis
75 evanuit. Audivit, & percepit Regulus: summoque mane, Patrem Alfonsum inquisitum
missit: (erat enim ab eo loco, octo milliariis, absens) cumque ad ipsum venisset, de eo
benevolus conqueritur, quia de nocte per suae domus intraverat fenestras. Deinde sacrum
baptisma petiit, quo accepto, breviter convaluit: suoque exemplo, alios ad salutem suarum
animarum induxit assequendam.

80 Progressus istos Apostolica Sedes benignis accipiens auribus, dictum Patrem
Alfonsum, cum sociis, sua benedictione, destinavit: ut inchoatam perageret missionem: et

ad hanc spectans Decretum, ac litteras patentes, dedit, ac ad tale obeundum munus, quasdam ipsi concessit facultates.

Facultatibus his Alphonsus confirmatus, qua potuit maiori alacritate, iniunctum sibi
85 administravit munus: donec appropinquante hora, in qua fructus sui laboris erat
percepturus, cum Neophytum quemdam divitem corrigi, ac puniri fecisset, ob secundum,
quod inierat, Matrimonium, adhuc uxore vivente, illius quaesivit odium. Nolebat Pater, &
Medicus, filium perire infirmum, ideoque eum curari, & sanari satagebat: (ut enim ait
Magnus Parens Augustinus epist. Ad Bonif. de correctione Donatistarum: *Molestus est*
90 *Medicus furenti phrenetico, & Pater indisciplinato filio, ille ligando, iste caedendo: Si*
*autem istos negligent, & perire permittant, ista potius falsa mansuetudo crudelis est*¹¹⁵.)

Filius vero Patris abhorrens remedia, convocatis consaguineis, aliisque propinquis,
Feria quarta cinerum, postquam Alfonsus Christiferum sacrificium celebraverat, &
caerimoniae Ecclesiasticae dum cineris imponendi dabat operam, in portu S. Annae, ad os
95 rivi de Damachiel, Satellitibus suis ipsum in templo aggreditur, lanceaque, ac duabus
venenatis sagitiis, vita privavit temporali, ut aeternam haberet in coelis.

Corpus eius, igne Ecclesiae applicato, consumptum est: excepto capite, quod
quidam Patris amore, abstulit, Fratribusque nostris postea tradidit: & in eius proprio
Sanctae Crucis Chartaginensi Conventu conditum fuit. Refulsit Alphonsus poenitentia,
100 humilitate, Apostolica simplicitate, paupertate, aliisque virtutibus, quae Religiosos decent;
& nunquam carnes gustavit, toto sui Monachus tempore.

¹¹⁵ Augustinus, *Epist. CLXXXV, 7. (De Correctione Donatistarum Liber).*

Consortes praemii, ac laboris habuit, Patrem Bartholomaeum ab Angelis eiusdem
Conventus alumnum in Regnoque Algarbiorum natum, & Patrem Michaellem a Sancta
Magdalena ex oppido de Benavarre, Provinciae Aragoniae filium. Bartholomaeus enim,
105 cum Patri Alfonso adesset, seu potius ex oppido venisset de Morrongo, decem, & octo, ab
illinc, dissito milliariis, ubi praedicationis officium exercebat, quatuor confixus venenatis
sagitiis, ex quibus una cor, aliaque faciem, utraque parte, traiecerunt, septem dies vivus
remansit, adhuc sine cibo, & potu: quibus decursis, prope? littus maris, sub arbore
iacentem, Charthaginenses quidam mercatores, illuc appellentes, pene mortuum
110 invenerunt: supra cuius pectus candida stabat columba, quam, nullo ipsius volatu, tamquam
mansuetissimam potuerunt capere, eamque Urbis Chartaginensis Gubernatori detulerunt.

Agnovit ipsos vulneratus Pater, & de morte Alfonsi certiores fecit: & cum illum
movere niterentur, ut ad naviculam portarent, in eorum manibus spiritum Deo reddidit.
Eius corpus, Chartagine, solemniter totius populi concursu, in Collegio RR.PP. Societatis Iesu
115 depositum fuit, & postea ad Conventum Sanctae Crucis translatum. Michael vero, in alio
oppido, scilicet Damachiel, milliariis duodecim distante, Apostolico detentus munere,
eadem die, ab alta rupe praecipitatus, suae praedicationis partes adimplevit. Cuius corpus
in mare proiectum inveniri non potuit. Sic animarum salus eos fecit veros esse germanos:
ut enim Abbas Ioseph in collationibus Patrum inquit. *Haec est vera fraternitas, quae nullis*
120 *unquam casibus scinditur; sed nec mors ipsa divellit.*

Commentarius

Andreas saepe accusatus est impietatis erga patriam suam a doctis. Et nonnulli eorum, sicut Vergara y Vergara, ausi sunt dicere Andream numquam mentionem fecisse de patria in operibus suis verecundiae causa¹¹⁶. Est accusatio miranda quae vix credi potest a quolibet homine qui legerit opus nunc nobis tractandum, ipse enim Andreas novissimum librum Historiae, quam Ordini confecerat, patriae suae dicavit ut Buitrago et Rivas asseruerunt¹¹⁷. In manipulo X describuntur aliquot partes huius regionis quae tunc appellabatur Novum Regnum Granatae, hodie autem Columbia. De quibus hic Andreas mentionem fecit, ipse videtur plus gravitatis tribuisse his nomine Tunxae et Urabae. In his descriptionibus Andreas qualis esset utraque regio necnon incolae, temperies et solum earum retulit. Semper autem narrationem dirigit ad res quas homines Ordinis sui illic fecerunt. Quamquam pauca de utraque regione hic referemus, animo est paulo amplius disserere de altera. Quare, antequam materiam incohamus, in animo est paucis referre quid de prima regione, i.e. Tunxa Andreas scripserit ne videamur lectores in medias res ad rem non satis bene exploratam vi detraxisse.

Prima earum regio est, ut supradictum est, Tunxa et de ea aliquid ad Andream incunabula pertinens principio iam retuleramus. Nam quamvis hodie plerique asserant eum in Sancta Fide natum esse, nemo tamen infitias ibit illic adesse illud praeclarum Monasterium Solitudinis Candelariae anno 1607 exstructum cui postea Andreas nomen dedit. Sic breviter descripta loci natura, principio manipuli Andreas narrat fabulam de

¹¹⁶ Vergara y Vergara, *Literatura de Nueva Granada*, 169.

¹¹⁷ - Buitrago, Introducción, XLVIII – XLIX.

- Rivas, *El Latín en Colombia*, 163.

quattuor viris laicis ab urbe Tunxae oriundis qui, volentes a se arcere illecebras mundi, convolaverunt ad vallem ubi, ut fama est, Cappellam Virginis Candelariae collocarunt ut Daemonium ab his locis deturbarent¹¹⁸. Dein Sacerdoti Augustiniano nomine Matthaео Delgado qui, nuper ab Hispania pervenerat, regionem Cappellae laici illi commendaverunt ut loco praesesset et de controversiis inter eos diiudicaret¹¹⁹. Mox Matthaео in mentem venit ad Sanctam Fidem proficisci ut illic Reformationem ordinis ab Archiepiscopo Sanctae Fidei impetraret. Regressus ergo Tunxam, humilis Capella Virgini dicata mox facta est in illud Coenobium Fratrum Recollectorum¹²⁰.

A quo Coenobio multi sancti viri tempore labente orti sunt. Unus ex illis fuit ille Ildefonsus de Cruce de quo dicitur *sensisse sibi dici, quod Carthaginem adiret, ibique in montis cuiusdam vertice, la Popa de la Galera nuncupato, coenobium, aliud strueret, Sanctissimae Cruci Sacrum*¹²¹. Omnia quae inter fidem, miracula, portenta et prodigia hic fiunt miro modo videntur assumilari fabulae de Caco et Hercule apud Vergilium¹²². Sed Pro Caco habemus daemonium nomine Busilacum, et in locum Herculis et ararum quas Caco occiso ipse Alcides exstruxit, nobis est Ildefonsus qui daemonio a cacumine deturbato Ecclesiam et monasterium aedificari iussit¹²³.

118 Andreas, *Proventus messis Dominicae*, 178-179.

119 Andreas, *Proventus messis Dominicae*, 179-181.

120 Andreas, *Proventus messis Dominicae*, 181-182.

121 Andreas, *Proventus messis Dominicae*, 184.

122 Virg., *Aen.* VIII, 185-275.

123 Andreas, *Proventus messis Dominicae*, 186.

1-8

Tum Andreas descriptionem urbis Urabae in ordinem componit. Formam eius Andreas cito nobis exarat et sicut nonnulli qui de terris Americanis aliquid olim scripserunt, monachus noster liquide describit solum eius asserens Urabam esse provinciam *tam portuum quam metallorum feracem* et ab aliis sex regionibus quoque uberrimis circumdatam. Hic mirandum est Andream benigniorem se praebuisse erga mores Novi Regni aboriginum, cum erga indigenas Insularum Philipinarum severiorem, ut dixeramus, se gessisset. Hic quamvis non neget aborigines feroces esse, subinde addit tamen non omnes carnibus hominum vesci neque daemonium colere. Mox redibimus ad hunc locum, nam nostro quidem iudicio, hoc loco freti poterimus dilucidare quid ipse de patria sua et de incolis eius vere cogitaverit.

9-20

Non multum hic immorabimur, nam nostro quidem iudicio, multa maioris momenti ad mores aboriginum dicuntur in fragmento supradicto manipuli decimi, necnon in manipulis et secundo et tertio operis, ubi inveniuntur sententiae quae videntur Caesarem et Tacitum redolere. Utrum Andreas mores aboriginum provinciae de Uraba imaginibus barbarorum depictis in operibus auctorum classicorum hic conferat necne non perspicuum est. Nihilominus auctor scaenas funerum, matrimoniorum, puerorum institutionis quibus tum homines huius regionis fruebantur satis bene delineavit. Exceptis aboriginum superstitionibus, omnia quae his relata sunt de moribus eorum neque ad malam neque ad bonam partem proniora videntur.

21-27

Quamvis in libro praesenti sententiae, dicta aut consilia auctorum classicorum non tam perspicue appareant quam in manipulis et primo et quarto, hic aspici potest quasi umbra Caesaris qui in *B.G.* mentionem fecit de hostilitate Gallorum erga mercatores¹²⁴. At, contra quam res apud Caesarem eveniunt, Urabae incolis mercatura non displicet neque credunt vires suas sic effeminari ut postea minime queant contra finitimos bellare. Quamvis comparatio inter Gallos apud Caesarem et incolas provinciae Urabae tenuis et diffusa primo obtutu videri possit, nobis autem tanti momenti visa est ut paucis his inspectis melius enodare possimus quid vere Andreas cogitaverit de Patria sua necnon de aboriginibus, et de moribus eorum.

Cum Hispani exempli gratia primum ad Americam pervenissent exortae sunt innumerae difficultates inter eos et Aborigines. Aborigines enim mores penitus aversos ab eis Christianorum habebant et miro modo commonefaciebant ipsos Hispanos de feritate ex qua Romani eos olim vi detruserunt¹²⁵. Nam haud secus atque Galliam, Romani quoque Hispaniam in dicionem subegerunt et incolas harum regionum sub iugum miserunt. Quamobrem Hispani in aboriginibus imaginem videbant barbarorum qui ante adventum Romanorum Paeninsulam Hibericam habitabant. In se autem Hispani credebant tum demum videre filios Hiberorum Romanorum qui subacta Paeninsula Hibera mores et disciplinam Romanorum sibi vindicaverant¹²⁶. Neque tantum hoc Hispanis evenit, sed

¹²⁴ Caesar, *B.G.* 1.1.3; 2.15.4.

¹²⁵ David A. Luper, "Roman in Spain and Britains as Models and Anti-Models for New World Encounters," in *Brill's Companion to Classics in the Early Americas*, eds. Maya Feile Tomes, Adam J. Goldwyn, Matthew Duquès, (Leiden: Brill, 2021), 259.

¹²⁶ Luper, "Roman in Spain and Britains as Models and Anti-Models for New World Encounters," 243.

omnibus populis qui olim a Romani subacti, tum ad Americam pervenerunt, i.e. Britannis et Francogallis¹²⁷. Omnes hi populi viderunt in aboriginibus imaginem maiorum suorum olim a Romanis sub iugum missorum, in se autem credebant esse quandam similitudinem Romanorum qui humanitatem barbaros fide et nonnumquam, plus quam sat fuerat, gladio docuerant¹²⁸.

Neque defuere qui assererent Europaeos aborigines iure gladio subigere, nam instar Romanorum ii quoque lumen urbanitatis usque ad populos nimis rudes et indociles qui vix ullo modo erudiri poterant afferebant. Inter eos qui sic cogitavissent Sepulveda praeclarus haberi potest:

Maneat igitur, constitutumque sit sapientissimis viris auctoribus, viros prudentes probos et humanos dissimilibus hominibus imperare iustum esse et naturale; hanc enim causam habuere Romani, ut legitimo iustoque imperio plerisque gentibus imperarent, auctore Augustino variis locis in Opere De Civitate Dei, quae loca Thomas hanc sententiam sequutus in libro De Regimine Principum collegit. Quod cum ita sint, intelligis profecto, Leopolde, si modo nosti gentis utriusque mores et insularum adiacentium barbaris imperitare, qui prudentia, ingenio, virtute omni ac humanitate tam longe superantur ab Hispanis, quam pueri a perfecta aetate, mulieres a viris: saevi et immanes a mitissimis, prodigi et intemperantes a

¹²⁷ Luper, "Roman in Spain and Britains as Models and Anti-Models for New World Encounters," 260-262.

¹²⁸ Luper, "Roman in Spain and Britains as Models and Anti-Models for New World Encounters," 254, 259, 264.

*continentibus et temperatis, denique quam simiae prope dixerim ab hominibus*¹²⁹.

Modo enim vero multi extiterunt qui, volentes huius modi hominum inhumanitatem redarguere, talia argumenta ab aboriginibus arcerent. Hi homines quoque conscii erant similitudinis inter maiores Europaeorum sui temporis et aborigines, sed contra quam Sepulveda et eius similes dixerant, viri sicut Bartholomaeus de las Casas non virtutis exemplar in antiquis Romanis videbant, immo vero maculas libidinis necnon impudicitiae propter quas Romani nonnumquam magis barbari aboriginibus Novi Regni videbantur¹³⁰.

In medio autem utriusque generis hominis Andreas stat. Andreas aborigines odio non habet neque videtur cogitare eos esse homines minoris pretii. Hic autem loquimur de opinione quam ille de aboriginibus Novi Regni habet, nam contra hos in Insulis Philipinis natos aliter se gessit. Sed redeamus ad res quas ille de hominibus Novi Regni dixerit. Ille quidem vult eos docere fidem Christi, nam ex eius sententia, quamvis, ut mox patebit, micae urbanitatis insitae in animo horum virorum essent, adhuc barbari sunt et peccatores. Sed quamvis peccatores sint, Andreas tamen fatetur eos in potentia virtutes quasdam habere.

Sed ante quam progrediamur, Caesaris fragmentum hic afferemus ut dein videamus quid Andreas de aboriginibus cogitaverit. In libro altero Belli Gallici, Caesar refert quales essent mores aliquorum populorum Galliae dicens:

¹²⁹ Juan Ginés de Sepúlveda, *Tratado sobre las Causas de la Guerra contra los Indios*, (México D.F.: Fonde Cultura Económica, 1941) 96-98.

¹³⁰ Luper, "Roman in Spain and Britains as Models and Anti-Models for New World Encounters," 245.

Quorum de natura moribusque Caesar cum quaereret, sic reperiēbat: nullum esse aditum ad eos mercatoribus; nihil pati vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod his rebus relanguescere animos eorum et remitti virtutem existimarent; esse homines feros magnaēque virtutis; increpitare atque incusare reliquos Belgas, qui se populo Romano dedidissent patriamque virtutem proiecissent; confirmare sese neque legatos missuros neque ullam condicionem pacis accepturos¹³¹.

Illic Caesar volens demonstrare quam feroces hi barbari vere essent, asseruit eos penitus arcere et mercatores et merces ne usu harum rerum vires suae hebetarentur et oporteret eos a bello se abstinere. Nam apud veteres habebatur pro nota urbanitatis huius modi illecebris uti et, ex eorum sententia, quicumque sine his vitam degeret animalibus similis erat. Contra ipsi Nervii habebant pro magno documento virtutis vitam sine his rebus agere et bellum sine intercapedine gerere. Hac de causa, Caesar retulit in opere suo quam procul mercatores abessent ab his regionibus. Caesar nimirum eos feritatis immanitatisque in opere suo increpuit. Sed quorsum tendunt omnia haec?

In opere suo Andreas aliter se gessit et notas, quibus Caesar usus est ut feritatem Gallorum patefaceret, monachus in bonam partem accepit. Quare Andreas Caesaris fragmentum hic paulo ante relatum non operi suo aptat ut feritas incolarum Urabae lectoribus pateret, immo vero ut indicaret etiam in his hominibus quamvis barbaris et paganis aliquid bonitatis esse:

¹³¹ Caesar, *De Bello Gallico*, 2.15.4-5.

Perpetuo bellorum involvuntur aestu: & ut non impediatur mercatura, in cuiusque Provinciae finibus, unam habent commerciis deputatam aedem, in quam cuiusvis anno determinato tempore, ex una Provincia Mercatores veniunt, ibique reponunt merces, communi illarum assignato pretio, & eadem via revertuntur. Postea, similiter statuto tempore, Mercatores ex finitima Provincia accedunt, ac acceptis mercibus, appositoque pretio, magna fidelitate, recedunt: ut iterum adveniant, qui primo mercimonia attulerant, & tollant, quod suum est. Hoc modo vitantes litigia, odiosae invicem nationes, suum absentes quaestum, commercium, & negotium gerunt¹³².

Homines provinciae de Uraba et finitimi eorum mercatores pluries in anno animo benigno accipiebant, et nationes quae aliae alii saepe inter se odiosae et invisae erant, omnia ex ordine redigebant ne bellum longe lateque serpens impediret quominus ipsi mercibus fruerentur. Mox videbimus in narratione de rebus, quas Ildefonsus illic gessisset, Andream addidisse plus argumentorum quo evidentius pateret aborigines huius provinciae iam particulas humanitatis, etiam ante adventum Europeorum, in se habere.

28-47

Vir qui secunda parte manipuli decimi munere herois fungitur iam non est Matthaeus Delgadus paulo ante mortuus sed ipse Ildefonsus de la Cruce iam hic vocatus Alfonsus. Itaque mortuo Matthaeo, ipse Ildefonsus iter facit in Urabam anno 1626 ut fidem Christi incolis huius regionis communicaret. Procedente libro narrantur res gestae eius et

¹³² Andreas, *Proventus messis Dominicae*, 10, 191.

quomodo animos aboriginum ad religionem suam pellexerit. Utrum res, quas omnes hic Andreas narrat, vere evenerint necne, non est hic locus dicendi. Nihilominus denuo aspici potest Andream filium narrationis suae sic confecisse ut perspicuum omnibus esset homines Urabae, etiam ante adventum Alfonsi et Matthei, iam pronos ad humanitatem fuisse. Quia, ut dixit ipse Andreas, Alfonsum primum oportuit efficere pacem inter homines provinciae de Uraba et finitimos eorum quo facilius et sine impedimentis Evangelia accipere possent. Quod quidem mirandum est, nam omnium populorum, qui tum illic inter se bellum gerebant, tantum hominibus huius provinciae gratum fuit arma deponere. Quod quidem ipse auctor testatus est dicens: *sed, omnibus aliis nimis repugnantibus, Prouinciae de Uraba pacem cum Euangelio accipere, fuit gratum*. Iam supradictum erat nonnullos doctos olim extitisse qui Andream impietatis erga patriam suam accusarent. In operibus enim suis, Andreas numquam palam fassus est se fuisse ex Novo Regno oriundum.

Ratione autem habita rerum quas ille in manipulo decimo operis sui narrat, patet quam fictae hae accusationes fuerint, nam, contra atque quae narrantur in manipulis et altero et tertio de hominibus Insularum Philippinarum, Andreas incolis provinciae de Uraba imaginem humanitatis concedit. Contra incolas Insularum Philippinarum descripsit sicut homines feros, inhumanos et sanguinarios quibus praeter vitia ne ulla quidem species erat urbanitatis.

Apud Caesarem autem ut dixeramus affabilitas erga mercatores et in locum belli pacem palam petere sunt notae humanitatis. Quas quidem notas Andreas tribuit aboriginibus supradictae provinciae ut in comparatione hominum ceterarum regionum Americae, pateret quam humani essent. Cur Andreas se benigniorem praebuerit in descriptionibus quas fecerat de moribus hominum huius provinciae pro certo habere

nequimus nam gratiam concessit eis hominibus qui nondum Christum colebant. Veri simile autem nobis videtur eum sic se gessisse propter nexum indelebilem quo ipse coniungeretur ceteris incolis regionis Urabae. Id est, vir patriae amans sic incolas eius diligebat ut paulo benigniorem erga eos se praeberet in scriptis suis.

78-98

Sed quamvis principio omnia ad hilaritatem versa essent in narratione Andreae, praecipue in scaena illa de Chartaiae somnio, procedente autem narratione, res tam tetricae et tenebricosae factae sunt ut ad extremum indolis narratio penitus immutata esset. Sic Ildefonsus et nonnulli ex fratribus suis martyrio coronati sunt dum conabantur evangelia indigenis communicare. Et quamvis principio ipse Andreas aboriginibus calamo se humaniorem praebere voluisset, sub fine manipuli patebit eum adhuc cogitare aliquid huius pristinae feritatis manere, quamvis iam Christiani facti sint, in imo corde eorum.

Consilia ancipitia autem quae de aboriginibus Andreas habere videbatur explanare possumus, nam haud secus quam ipse auctor, tum fuere nonnulli viri qui, quamvis nati essent in America, maiorem affinitatem sentiebant se habere cum hominibus ab Europa provenientibus quam cum aboriginibus Americanis¹³³. Quod enotare possumus freti aliis partibus operis Andreae. Itaque procedente narratione Andreas asseruit aborigines vitiis laboravisse *priusquam a nostris Euangelii lux tantæ obiiceretur caecitati*¹³⁴. Conicere ergo possumus eum credere sese similiorem esse Europaeis hominibus quibus linguis et Christi

¹³³ Stuart M. McManus, “The Bibliotheca Mexicana Controversy and Creole Patriotism in Early Modern Mexico”, *Hispanic American Historical Review* 98, n.º 1 (2018): 17–18.

¹³⁴ Andreas, *Proventus messis Dominicae*, 44.

fide coniungeretur quam aboriginibus quos tantum casu et propinquitate noverat. De cetero in eis quoque videbat magna vitia stirpanda ne virtutes eorum offuscarent.

Utrum consilia et argumenta de aboriginibus Americanis quae ipse in opere suo exposuerit vera nobis videantur, non est hic locus dicendi. Nam a principio opusculi nobis solum in votis erat demonstrare utrum saeculo XXVII et posthac auctores periti Latine scribentes in Novo Regno flourissent necne. Nostro quidem iudicio, hunc scopum attigimus. Sunt enim paucissimi auctores qui, quamvis periti, mereantur inter Lumina linguae Latinae in Columbia numerari. Et inter omnes enim eos Andreas est unicus qui cum peritia tum ingenio Michaeli Caro fortasse conferri possit. Hic autem dicere utrum vere discrimine affectus Andreas nimis strictum et severum se aboriginibus et infidelibus calamo praebuerit non pertinet ad nos, sed ad historicos eosque qui freti operibus hic tractatis velint aequo examine animum et indolem Andreae perpendere. Quaecumque autem his de rebus hic locuti simus, diximus quo melius genus indolis animique optimi auctoris linguae Latinae enuclearemus necnon ut demonstraremus cur studere auctoribus Latinitatis recentioris utile videri possit iis qui in studium historiae aut aboriginum quidem Columbianorum incumbant.

CAPUT TERTIUM: DE ORATIONIBUS LATINIS IN UNIVERSITATE

De vita Mariani de Campo Larraondi et Valentiae

Marianus de Campo Larraondus et Valentia cognomine Fabius Publicula natus est die 12 aprilis anno 1772 parentibus Francisco de Campo Larraondus et Maria Ignacia Valentia Sáenz del Pontón. Minimus natu ex duodecim filiis matrimonii Marianus fuit¹³⁵. Litteris studuit apud Collegium Popayae et Quiti diploma accepit in utroque iure¹³⁶. Sacerdotio donatus est ab archiepiscopo Popayae nomine Ángel Velarde y Bustamante anno 1797¹³⁷. Tam bonum oratorem se praebuit, cum saepe in rebus sacris tum maxime in mundanis, ut orationes quas coram populo saepe habuit, animos virorum qui se in libertatem vindicare ambiebant, saepe excitarent¹³⁸.

Die 22 mensis Maii anno 1790 bene se gessit in percontatione thesis quam ipse scripserat *De promotione physica: "Deus praevidet et physice applicat causas secundas ad agendum"*¹³⁹. Proh dolor de tali opere nihil nisi titulum in indice opusculorum, quae discipuli Collegii Popayae tum scripserant, valuimus invenire. Pro certo non habemus ergo utrum thesis Mariani adhuc aut in Bibliothecis aut in tabulario archidioecesis Popayae reperiri possit. Etiam inter doctos sui temporis excelluit, et, quamvis vellet patriam in

¹³⁵ Guido Eugenio Enríquez Ruiz, "Mariano del Campo Larraondo", in *Caucanos en la independencia* (New York: Ediciones LAVP, 2019).

¹³⁶ In iure et civili et canonico.

¹³⁷ Demetrio García Vásques, *Revaluaciones Históricas para la ciudad de Santiago de Cali* (Cali: Palau, Velazquez & Cia., Editores, 1924), 112-113.

¹³⁸ Enríquez, "Mariano del Campo".

¹³⁹ Rivas, *El Latin en Colombia*, 281-282.

libertatem vindicare, litteris classicis favit quoad vixit. Interpres earum satis bonus fuit neque umquam dubitavit quin maximi momenti essent in institutione iuvenum.

Ipse Marianus fassus est se optimos habuisse magistros qui eum Latinitatem docerent in Collegio Popayae. Inter eos licet numerare virum nomine Josephum Felicem de Restrepo qui postea auctor fuit legis ob quam servitus ad finem pervenit¹⁴⁰.

Anno 1809 inivit oppositionis certamen et dein magister cathedrae latinitatis scholarum maiorum apud Collegium Popayae est creatus, sed, propter infirmitatem corporis, eum oportuit a munere, quod summopere amabat, discedere. Ipse solus fuit qui huic certamini nomen dedit. Et ut in hoc certamine se feliciter gereret, eum quidem oportuit Hispanice vertere et syntaxin enodare fragmenti quod ipse rector Collegii Popayae Manuel Maria de Arboleda ab opere Ciceronis nomine *De Officiis* depromperat. Denique ad interrogationes probatorum et Mariani Perez de Valencia et Toribii Miguez Rodriguez de stilo et prosodia respondere. Hac parte oppositionis intra spatium unius horae peracta, Marianus orationem *de usu linguae Latinae* habuit coram probatoribus qui confecta oratione iusserunt Marianum magistrum grammaticae et Latinitatis creari¹⁴¹.

Amantissimus patriae favit partibus ad libertatem pronioribus et anno 1811 ad Popayam regressus est cum militibus qui tum pugnaturi erant in proelio nomine de Palacé. Quare anno 1816, amoris causa erga patriam, viri qui partes Regias fovebant nihil reliqui ei fecerunt et, redactum ad ignominiam, eum toto patrimonio spoliaverunt¹⁴².

¹⁴⁰ - García, *Revaluaciones Históricas*, 118; Rivas, *El Latín en Colombia*, 112-113.

¹⁴¹ Rivas, *El Latín en Colombia*, 282-287.

¹⁴² Enríquez, “Mariano del Campo”.

Vindicata autem patria in libertatem, principibus patriae bonum visum est exstruere Collegia nova ubi facultates iuvenum corroborarentur. Inter haec collegia maximi momenti fuit illud nomine de Sancta Librada quod quidem, quamquam iussu ipsius promagistri Francisci de Paula Santander conditum est senatus consulto die 29 Ianuarii anno 1823, non aperuit portas suas 27 discipulis qui primum litteris operam illic dederunt nisi mense Octobri eiusdem anni¹⁴³. Primus scholae rector nimirum fuit noster Marianus de Campo Larraondus et Valentia sed tali munere tantum functus est paucos per menses, nam ob rheumatismum quo ab adulescentia laborabat, ne brachium quidem dextrum iam movere valebat. Itaque morbus, qui ei brachium subriperat, obstabat quominus vel sacrificaret vel scriberet. Quare nonnumquam eum volentem aliquid scribere oportebat omnia quaecumque ei in mentem venissent scribis et amanuensibus, quos quam maxime imperitos apud se habebat, dictare. Sic multa ex opusculis, quae provecta aetate scripsit, scatent mendis¹⁴⁴. Non quidem causa inscitiae, sed incommoditate morbi ac scribarum inscitia, qui minime arte grammaticae pollebant, Marianus erravit¹⁴⁵. Nihilominus, ante quam a vice rectoris Larraondus discederet, rem in ordinem redactam reliquit ut omnia necessaria ad institutionem puerorum Collegio Sanctae Libradae suppeditarentur. Annos natus 88 mortuus est in Santander anno 1860. At ante quam e vita emigraret magnam partem patrimonii sui reliquit hominibus qui quondam sicut servi, iam autem manumissi, ipsi Mariano obtemperaverant¹⁴⁶.

¹⁴³ Enríquez, “Mariano del Campo”.

¹⁴⁴ Enríquez, “Mariano del Campo”.

¹⁴⁵ García , *Revaluaciones Históricas*, 118-120, 126.

¹⁴⁶ García , *Revaluaciones Históricas*, 118-120.

Opera

De operibus eius multa dicenda sunt, plura vero facienda, nam multa eorum adhuc in scriniis bibliothecarum, collegiorum necnon tabulariorum inedita manent. Ipse autem et Latine et Hispanice scripsit. Et quamvis utraque lingua ille opera ediderit, hic referre licet eum plus Hispanice quam Latine scripsisse. Inter opera, quae et ipse Hispanice scripsit, quimus numerare: *Ensayo de un drama colombiano relativo a la transformación política del Estado en 1810*; *Compendio de la doctrina cristiana en verso fácil para el uso de las escuelas primarias de Popayán*; *Biografía del doctor Mariano del Campo Larraondo, escrita por él mismo en endecasílabos pareados*; *Memoria sobre la importancia del estudio de la lengua latina*; *Célebre carta crítica al Correo Curioso sobre el mejor modo de traducir a los Clásicos*. Non fieri potest ut lectores certiores faciamus de annis quibus singula opera huius indicis scripta sint, cum pleraque eorum in lucem edita sint post mortem Mariani. Praeterea adhuc multa documenta sunt, opera et opuscula cum ipsius Mariani tum aliorum auctorum exspectantia adventum hominum qui vetera documenta interpretentur et litteris electronicis mandent.

Sic inter opera minora Mariani exstat quoddam nomine *Propuesta para la creación de un aula de latinidad y principios de moral, política y religión en Santander de Quilichao* nondum in lucem editum. Quamquam Hispanice scriptum est, lecto titulo possumus conicere magni momenti opus esse ad studium Latinitatis quae tum in scholis regionis exstaret. Opus ergo refertum est dictis necnon sententiis quas apud auctores classicos sicut Ciceronem et Vergilium licet reperire. Quamquam opus nondum quisquam in lucem edidit, veri simile tamen est quicumque incumbat in studium huius opusculi inventurum esse vestigia rerum quae vires Latinitatis tum in Columbia paulatim deminuerint.

Praeter haec Marianus quoque Horatii Odas Hispanice reddidit et opusculum de optimo modo vertendi auctores Classicos in linguas hodiernas Hispanice scripsit. Quod quidem opusculum, ex Rivae sententia, inter haec quae Marianus scripserit, maximi momenti habetur¹⁴⁷. Nihilominus quantum ad carmina quae Hispanice vertit attinet, non fuit interpres felix¹⁴⁸. Secundum Rivam, Marianus melior litterarum censor quam interpres fuit¹⁴⁹.

Moribus immutatis studia Classics magnam partem virium, quas olim in regione habuerant, amiserunt. Quod nimirum Larraondus, cum institutionem puerorum tantopere curaret, aegre ferebat. Hac de causa statuit epistulam nomine *Memoria sobre la importancia del estudio de la lengua latina / De usu et utilitate linguae Latine* scribere. Et quamvis numquam non favisset partibus Rei Publicae, in supradicta tamen epistula accusat inhumanitatis eos qui, se hostes linguarum antiquarum ob amorem patriae praebentes, linguas classicas velint prorsus aboleri:

Usted sabe que cada siglo lleva consigo impreso cierto carácter, y un modo de existir que le es propio, y le distingue de los demás. Me parece que no aventuraré mucho si me atrevo a decir que el nuestro es el de la novedad, con que se intenta crearlo todo, reformarlo todo, y echar por tierra todo cuanto tiene visos de antigüedad. Habrá desde

¹⁴⁷ Rivas, *Latin en Colombia*, 297.

¹⁴⁸ José María Vergara y Vergara, *Historia de la literatura en la Nueva Granada: desde la conquista hasta la independencia (1538-1820)* (Bogotá: Librería Americana, 1905), 375-376.

¹⁴⁹ Rivas, *Latin en Colombia*, 296-297.

luego razón para muchas cosas; pero no ciertamente para todas. Ha llegado la manía de algunos hasta el extremo de proscribir todos los idiomas muertos como inútiles y aún perniciosos, bajo los lisonjeros más nunca sólidos fundamentos de que la juventud pierde miserablemente en ellos el tiempo, que debía consagrar a los vivos, y en los que por medio de las versiones se encuentra todo lo más florido, lo más selecto, y lo más importante de cuanto poseyeron los antiguos en todo género de conocimientos¹⁵⁰.

Eius quidem iudicio litterae classicae sunt quae pontem extruant inter nos et saecula praeterita. Ipsae nos heredes efficiunt virorum praeclarorum qui olim exstiterunt necnon animos quidem nostros amplitudine et magnitudine eorum corroborant¹⁵¹. Praeter hoc, Marianus iterum iterumque ad utilitates linguae Latinae in opere suo revenit. Inter quas utilitates enumerat amplificationem ingeniorum et facultatem bene scribendi in linguis hodiernis, quam scientiam non, nisi peritia linguae Latinae adepta, attingere possumus. Necnon mentionem fecit numeri ingentis operum Classicorum quae adhuc Hispanicè vertenda sunt. Sed de his hactenus; nam, quamvis agatur de opere summi momenti ex quo depromere nonnulla de statu et conditione linguae Latinae exeunte saeculo XVIII licet, satis procul distat a proposito nostro nimis multum hic immorari.

¹⁵⁰ Mariano del Campo Larraondo y Valencia, “Memoria sobre la importancia del estudio de la lengua latina”, *Santafé y Bogotá* 3, n.º 16 (1924): 201-202.

¹⁵¹ Larraondo, “Estudio de la lengua latina”, 202.

At, antequam probemus documentum quod Latine Marianus exaravit, aliquid dicemus de eius opere magno, nam ille numquam quicquam maioris momenti transcursu vitae scripsit quam epistolam illam de optimo modo auctores classicos interpretandi. Nemo fuit qui melius Mariano praecepta ad artem vertendi pertinentia tum noverit. Ipse auctor asseruit versiones nihil esse nisi picturam aut umbram exemplaris principis ubi, licet auctor munere interpretis bene functus sit et accurate imitatus sit ambages et circuitus per quos auctor sententias duxerit, lector nihil inventurus nisi imaginem operis principis quae, quamvis non penitus perspicua, satis conspicua omnibus apparet¹⁵². Epistolam ergo *de optimo modo vertendi auctores classicos*, de qua hic mentio nobis facienda est, ipse postea misit ad ephemeridem nomine *el Correo Curioso*. Nam paulo antea Marianus legerat versionem odae Horatii nomine *Aequam Memento* a Iosepho Tiburtio Lineros cognomine *el poeta ramplón* Hispanice versam quae ei minime placuerat¹⁵³.

Simul atque versio odae in manus eius incidit, valde gavisus est Marianus videns adhuc esse viros qui operam darent interpretationi Classicorum. Paulo post autem et contra quae principio ratus erat, certior factus est qualis esset versio. De ea ipse Marianus retulit sese neque interpretationem expeditam aut saltem ad sensum redactam neque paraphrasin quidem illic reperire posse; sed tantum textum esse ex partibus multiplicibus et inter se certantibus confectum ubi Horatii consilia alio conversa aut penitus corrupta et foedata vix legi possent¹⁵⁴.

¹⁵² Rivas, *El Latin en Colombia*, 288.

¹⁵³ Rivas, *El Latin en Colombia*, 295.

¹⁵⁴ Rivas, *El Latin en Colombia*, 287

Ut summatim dicam, censura operum litterarum in Columbia ex epistula, quam odae causa Marianus de optimo modo vertendi ad ephemeridem miserat, exordium cepit. In epistula sua Marianus non tantum praecepta ad artem summopere difficilem pertinentia obtulit sed ut nubem confusionis a Tiburtio excitatam discuteret ei in animo fuit exemplar Hispanicum fingere eiusdem odae. Ei numquam fuit in votis se magna peritia iactare, sed ostendere munere interpretis accuratius perfungi licere quam Tiburtius potuisset. Ipse professus est, si vulgus bene haec accepisset, fore ut ipse omnes odas Horatii, exceptis iis impudicis et libidinosi, Hispanicè verteret. At neque epistula neque versiones, quas ipse Marianus paravit, unquam editae sunt in lucem ante annum 1879 quo Michael Antonius Carus omnia haec ad Menéndez et Pelaius misit¹⁵⁵.

Quantum ad opera Latina eius attinet, iam pauca de eis retuleramus. Nam, quoad scimus, ille tria scripsit. In primis constat Marianum scripsisse thesin de philosophia scholastica, de qua iam mentionem feceramus, ut insigne in utroque iure acciperet. Proh dolor autem thesis non videtur usque ad nos pervenisse. Dein manent duae orationes Latinae. Non multum dicemus de prima nisi eam fuisse quam ipse orationem habuerit coram probatoribus ut magister Latinitatis in Collegio Popayae crearetur. De altera autem nobis propositum est edere in lucem primum exemplar. Nam praeter primam paragraphum, quae legi potest apud Rivae opus *El Latin en Colombia*, nemo unquam fuit qui eam litteris mandaret.

¹⁵⁵ Vergara, *La literatura en la Nueva Granada*, 375-376.
Rivas, *El Latin en Colombia*, 295-296.

De editione textus

Antequam locum tractemus, nonnulla de eo nobis dicenda sunt. Nemo umquam Mariani orationem in lucem ediderat, quare cum editionem nostram pararemus, nonnullae difficultates nobis procedente labore obviae sunt. Sic exemplar princeps quo hic usi sumus nimis vetus erat et in illo nonnumquam locos corruptos invenimus quae, in variis textus locis et praesertim a parte marginis dextra, lectionem offuscabant. Sic quaecumque corruptio textus aut marginis impediabat quominus verbum quodlibet bene perciperemus, nos ex sensu textus deprehendere oportebat quae verba auctor scripsisset. His in locis verbum quod nobis sententiae idoneum videbatur intra parentheses quadras [verbum] scripsimus. Nihilominus nonnumquam amissio textus tam magna erat ut illa nobis penitus obstaret conicere quid auctor illic exprimere voluisset. Tum asteriscos tres (***) amissionis loco adhibebamus.

Oratio orthographiae mendis referta est et nos conati sumus ea emendare. Quamobrem nos verborum loco sicut “eficio” “efficio” retulimus. Et ut lectores facilius verba, quae nos emendavissemus, deprehenderent, nos sic haec verba “ef(f)icio” scripsimus. Conati sumus litteras magnas et parvas retinere eisdem locis quam auctor in exemplari primo, sed nos paucas earum mutavimus. Itaque Auctor alias “grammatica” alias “Grammatica” scripsit, nos autem, ut rem maximi momenti in textu esse pateret, “Grammatica” conservare praetulimus. Quantum ad interpunctionem attinet, conati sumus, quoad possemus, hanc, quam auctor principio adhibuerat, servare, sed eam paucis in locis mutavimus ut sensus sententiarum manifestius pateret.

Fragmentum

De usu et utilitate Grammaticae¹⁵⁶

Ni gratia vestra erga me, sapientissimi Praeceptores praeclarique candidati, satis
satisque spectata foret, egregium hoc tantumque certamen, certamen inquam, quod meum
exsuperare captum, adeoque a me, ea qua par est dicendi copia atque praestantia, peragi
non posse, plane vobis perspectum esse non ambigo, quodque ab aliis ante hac peritioribus
5 optime gestum, exspectationi votisque vestris plene fecit satis, hoc sane ornatissimo loco,
praestantissimoque coetu¹⁵⁷ impraesentiarum coepisse quam minime ausus essem¹⁵⁸.
Etenim, operis pretium, animi mei imbecil(l)itate(m), vestramque litterarum peritiam
incorrupte perpendens: ¿Quidni de consilio [meo] ***merito¹⁵⁹ erubescam; de coeptique,
huius exitu dif(f)idam? At(t)amen hoc tanti non facio, dum vobis quemadmodum spero,
10 nec non ulla, neque cupiditatis, neque foenoris, n[ec] cassi ostentus, ratione pulsum;
verumtamen gratitudinis debita, erga nobilissimum hinc de meque meritissimum
Collegium, quantum fieri possit, solvendi desiderio, et omnibus insito discendi potius,
quam docendi studio ductum, rei tantae dedisse operam prorsus innotescat. Quae cum ita
sint, iam tandem non meis viribus, sed Dei optimi, maximi auspicio fretus, vestraeque
15 prudentiae, quam satis calleo, suppetiis in(n)ixus, materiam aggredior de Grammaticae

¹⁵⁶ Quam hic editionem paramus, non est perfecta. Nam in his quae ad emendationem et interpunctionem ipsius orationis attinent, adhuc nonnulla facienda sunt, quae ut bene probentur plus temporis merentur. Nunc vero satis sit superficialiter inspicere quid Marianus illic finxerit.

¹⁵⁷ “Coetui” apud Rivas.

¹⁵⁸ Hic Larraondi iudices videtur adloqui haud aliter ac Catilina olim cohortatus est coniurationis socios.

¹⁵⁹ Hic videtur esse parva amissio in exemplari principe quae ne in libro quidem Rivae Sacconi *De linguae Latinae in Columbia Historia* apparet. Nescimus utrum pro “merito”, Marianus “inmerito” scripserit. Difficile dictu.

necessitate et utilitate, quantum in me sit, quantumque ferat ratio temporis dicturus¹⁶⁰.
Deus, cuius supplex numina posco, faxit ut maximum tantumque opus, prout vobis libeat,
perficere valeam; sin minus veniam inscitiae meae cedit precor¹⁶¹.

Enim vero cum Grammatica(m), arte scilicet recte loquendi recteque scribendi
20 idque discendi et caeterum docendi, veluti basi sua eximias scientiarum aedes fulciri, et
litterarum rivulos ab illo fonte proficisci adeo omnibus pateat, ut (n)ullus unquam infitiani
ausus sit; eius necessitas et utilitas, non alio ex capite, quam ab harum necessitate et utilitate
repetenda videtur: stabilitatem enim et necessitatem fundamenti domus quae ipsa sustinetur
magnitudine et pondere metimur. Igitur de sapientiae praestantia breviter dicturus ut ex ea
25 Grammaticae propria vobis nota sit. Animos adhibite. Ita a natura comparata est mens
humana, ut, quemadmodum volumus ad rectitudinis dilectionem, sic intellectus noster vi
quadam indita et ineluctabili ad veritatis investigationem et cognitionem propellitur.
Insatiabilis haec cupiditas adeo late expanditur, ut omnia tempora, omnia loca, sexus,
conditiones, omnes denique aetates indivulse comitetur. Nobiscum gignitur, in lucem
30 prodit, pullulat, roboratur, adolet, veterascit, et quod magis miramur, cum caetera omnia
vetustate remittantur et decidant, haec animi propensio, nedum senili languore iaceat, annis
protrahitur et augetur¹⁶². Adeo in quo¹⁶³ propriorem grandaevus pyram conspicit eo plus

¹⁶⁰ Rivas Sacconi hic “Discursus” legerat, nobis autem videtur Marianus scripsisse “dicturus”.

¹⁶¹ Primam paragraphum ex opere Rivae Sacconi *De linguae Latinae in Colombia Historia / El latin en Colombia* quam cum exemplari principi orationis retulimus ut pauca quaedam emendarem.

¹⁶² Cicero, *Pro Archia*, 16.15; Cicero, *De Amicitia*, 22.25-35.

¹⁶³ Lectio exemplaris principis hic minime liquida est.

sciendi cupidine flagrat; siquidem in veri cognitione quid pulcherrimum et maxime naturae accom(m)odum reperiri existimat.

35 Quae ut satius illucescant, quaedam iuvat adducere exempla. Solon gloriabatur eius scientiam aetate quotidie coalescere. Hocque illa, quae die ipsa qua o(c)cubuit, protulit verba, luculenter ostendunt. Cum enim amici prope eum sedentes, quadam de re col(l)oquerentur, caput iam exanime et gravatum erexit ab illisque interrogatus cur id fecisset, respondit: ut cum istud quidquid est, de quo disputatis, percepero, aequiore animo
40 moriar¹⁶⁴. T(h)emistocles, peritissimus ill(e)¹⁶⁵ Graeciae vir cum centum et septem aetatis suae annis¹⁶⁶ se mori videret, dixisse fertur maximo dolore affici quod tunc e vita discedebat cum sapiens fieri coeperat. Aurelius imperator, e regia ad Sexti Philosophi domum, apud quem sapientiae studio incumbibat, aliquando proficiscens Lucio eum roganti quo et ad quid pergeret “Seni etiam,” inquit, “discere decorum est; itaque ad
45 Sextum philosophum eo ut sciam quae nondum scio”¹⁶⁷. Alia huiusmodi praetermitto quae singula recensere temporis brevitatis non fert.

Verumtamen, quid si ab huius studii propagatione ad eius vehementiam oculos vertamus? Mirabile dictu! Quot quantique maiorum nostrum nobilissimi viri, qui sapientiam, vitae pabulum, hominis ornatum, mentis voluptatem, egestatis copiam,
50 dolorum levamen, verum af(f)lictionum solatium, putantes; sese velut gravi pondere huius

¹⁶⁴ Ex Valerii Maximi libro VIII.

¹⁶⁵ In exemplari principe “illae Graeciae” scribitur.

¹⁶⁶ Themistocles mortuus est annos natus 65. Praeter hoc, auctor aetatem viri modo inusitato descripsit.

¹⁶⁷ Philostrati Vitae Sophistarum 2.1.21.

aditus [praepediente¹⁶⁸], suis opibus exuerunt, eas spreverunt, et abs se pepulerunt; Sophiae
gaza contenti ultro prae oculis veniunt! Quam multi, qui eo accensi, labores, lethum¹⁶⁹,
ex(s)ilium, caeteraeque vitae discrimina parvi pendenda esse duxerunt¹⁷⁰! Quot denique,
qui pro sapientiae divitiis assequendis, sese his omnibus committere non dubitarunt! Mirum
55 hercule' tot homines, cogitationibus, affectibus, tempore, locis, ceterisque omnibus quam
maxime dissitos, hoc uno adeo compungi, ut scire cuncti unanimiter concupiscant. Certe
haec animorum coniunctio, ab alia, quam ab ipsamet natura(e) scaturigine oriri nequit;
Quae quidem cum nil, nisi necesse, nisi sibi consentaneum optet, et quaerat, hinc aperte,
litterarum, proin(de)¹⁷¹ Grammaticae earum basis et necessitas, et utilitas evincitur.

60 Ex his quae hactenus dicta sunt propositum meum satis vobis constare posset, ast
ut re ipsa splendidius luceat, singulas libet scientiarum utilitates obiter percurrere. Proh!
Quot quamque uberrimos fructus iis pendere videmus! Eae quippe, siderea luce
densissimam errorum caliginem pertundentes, nos ab alto inscitiae pelago emergunt,
feracissimum mentis nostrae arvom, qu(od) absque earum vomere, incultu(m)¹⁷² maneret,
65 arant et colunt: inveterata praeiudiciorum repagula profligantes, veritatis ianuas nobis
pandunt, aptioraque ad eam, et tenendam et a sophistarum argutiis discernendam media

¹⁶⁸ Apud exemplar princeps “praepediente” apparet quod verbum Latine credimus non
exstare. In locum eius, nos “praepedio” retulimus, nam verbi significatio ex nostra sententia
consentanea esse videtur sensui quem auctor voluit in sententia exprimere. “Praepedio”
idem est ac “obstare”, sic divitiae nos obstant quominus sapientiae ianuas intremus.

¹⁶⁹ Non pro certo habemus utrum haec sit vera forma verbi. Verbum non perspicue legitur
in exemplari principe = Lectio incerta.

¹⁷⁰ Cicero, *Pro Archia*, 14.10-15.

¹⁷¹ In exemplari principe “proinque” scribitur.

¹⁷² “Incultus” in exemplari principe. Adiectivum pendet ab “arvom”.

suppeditant. Magna primordia mundi, quaeque omnia ab iis ad nostra usque tempora acciderunt, ob oculos ponunt.

Mirabili simplicitate et rectitudine supputationes quae viro humano intellectu capi
70 possunt, ef(f)icere¹⁷³, necnon terram et omnia quae in ea sunt corpora metiri: mirificas
naturae productiones, harum varietatem, multitudinem, incrementum, venustatem, et
praestantiam diligenter perscrutari; ima terrae, marisque latibula rimare; inexhaustos
***¹⁷⁴ t(h)esauros latentes quaerere, ex h(i)sque omnibus vitae subsidia, co(m)moda,
oblectamentum, ornatum depromere erudiunt. Eximiam itidem syderum distantiam [atque]
75 magnitudinem, lucem qua alia ab aliis (de)cernimus sive propriam sive acceptam,
immutabiles citissimosque motus, et cuncta ab iis oritura certissime docent¹⁷⁵.

Fragilibus praeterea levigatisque¹⁷⁶ lignis vastissima iure pervadere maria:
morborum causas et ef(f)ectus agnoscere his, vel gravissimis ef(f)icacissima adtribuere
remedia; vitamque humanam tanti faciendam, saepe saepius e mortis faucibus eripere¹⁷⁷:
80 Nec tantum veritate intellectum colunt, sed et voluntatem ad rectum et honestum movent.
Nostram originem, naturam, et finem ostendunt. Ad Dei ipsius perfectionum
coelestiumque spirituum cognitionem mentem elevant, mores corrigunt, vitia eradicant,

¹⁷³ Omnia verba temporalia in infinitivo ex “efficere” usque ad “eripere” videntur ex “docent” pendere.

¹⁷⁴ Pars amissa exemplaris principis.

¹⁷⁵ Nescimus utrum post “docent” sit amissio verborum, quamvis sensus amissionis non videtur hic esse.

¹⁷⁶ Sic in exemplari principe.

¹⁷⁷ Omnia verba temporalia in infinitivo ex “efficere” usque ad “eripere” videntur ex “docent” pendere.

cupiditates cohibent, ordinem stabiliunt, statutum servant, perturbatum¹⁷⁸ restituunt¹⁷⁹, societatem astringunt, rerum proprietarum et possessionem [tuentur], communi bono
85 prospiciunt. Eae sunt denique mentis lux, morum regula, vitae fulcrum, et voluptas humani generis decus, societatis vincula.

En permagna scientiarum com(m)oda ad quae Grammatica viam nobis sternit [scilicet] ianuas pandit; quibus absque ipsius ope orbati essemus. Hanc enim earum esse [constat] fundamentum; praeterquam quod ex ipsamet semper, ex, ubique in scholis,
90 recepta consuetudine, pueros scilicet prius ad huius, quam ad illarum studium ad(d)iscendi¹⁸⁰, ita ut litterarum aditus pateat nulli nisi qui Grammaticae limen at(t)igerit, satis apparet ***¹⁸¹, [id] alia plura suppetunt, quibus probari potest, etenim Grammatica apud omnes est ars recte loquendi, recteque scribendi, proinde recte discendi, quidquid enim discimus ab ***¹⁸² aliis, sive verbis sive scriptis accipimus, his enim mentis
95 cogitationes exprimuntur ***¹⁸³ quae omnia ita devincta sunt, ut ars cogitandi, loquendi et scribendi, una eademque sit. Homo quippe, ideo cogitat, quia sentit; quia cogitat, loquitur; eo quod loquitur scribit. Quo posito, quemadmodum eruditio quaeque non nisi vel loquendo, vel scribendo fit, sic nec recte docere, nec recte discere absque facultate recte loquendi, recteque scribendi, fieri potest. Denique Grammatica, intimam cum scientiis

¹⁷⁸ Amissio in exemplari principe hic est. Et ego et magistra credimus “perturbatum” sensu quadrat.

¹⁷⁹ Propter supradictam amissionem sensus horum quidem duorum verborum non perspicue apparet.

¹⁸⁰ Fortasse melius sit adhibere “pueros adducendos ad studium” in locum verbi “addiscendi”, nam auctores antiqui verbo “addiscere” cum praepositione “ad” haud usi sunt.

¹⁸¹ Hic videtur esse et alia textus amissio, quamvis sententiae sensum integrum mansisse appareat.

¹⁸² Hic videtur esse parva amissio in exemplari principe.

¹⁸³ Hic alia parva amissio videtur esse.

100 omnibus habet conexionem, ea namque methodice in quat(t)uor partes, nempe
Orthographiam, Prosodiam, Etymologiam, et Syntaxim dividitur¹⁸⁴. Prima litterarum
quibus scribi debet diversitatem docet, hisque voces alias ab aliis distinguit. Secunda
propriam cuique syllabarum, sive brevium, sive longarum quantitatem, ad rectam
verborum prolationem praescribit. Tertia, Etymologia scilicet, dictionum varietatem, ab
105 earum variatione vel immutabilitate sumptam, vocum originem, et proprietates tradit.
Syntaxis, Latine constructio, harum ordinem, et dispositionem docet ut ex iis suo cuiusque
loco positis, recta orationis partium fiat compositio.

Quae quidem omnia eo ad cuiuslibet facultatis studium sunt necessaria, ut absque
illis nulla nec unanimis, nec certa discendi esset regula, ad hunc enim, vel illum loquendi
110 vel scribendi modum sua quamque traheret voluntas: Quae magnis scribenda, parvis; quae
parvis, magnis scriberet litteris: syllabis quantitatem pro lubitu optaret; recta quaelibet sibi
esset verborum prolatio; immutanda mutaret, quae variari possunt et debent, ~~quae mutationi
obnoxiae sunt~~¹⁸⁵, immutanda manerent; vocum originem undelibet duceret; orationis partes
quoquomodo positas, inter se coniungeret. Hincque, nedum docendi et discendi ars, antrum
115 et inextricabile chaos oriretur. Suus quisque Magister esset, suum enim cuique scientiarum
foret studium, adeoque de artissimis societatis vinculis conclamatum esset. Gra(v)issima
haec incommoda, prout ex supra as(s)ertis aperte constat, Grammatica pellit. Quaecumque
autem de ea hactenus dicta sunt, quamquam non ita dixerim ut, Latinae¹⁸⁶ tantum, non
caeteris praeter ipsam propria sint; Veruntamen cum haec una semper, nostris in scholis, a

¹⁸⁴ Auctor partium grammaticae nomina magnis litteris scripsit. Quam quidem rem nos statuimus conservare.

¹⁸⁵ Sic apud exemplar princeps apparet.

¹⁸⁶ Latina pro Lingua Latina.

120 maiorum temporibus, invaluerit, nobilissimaque omnium sit habita, illa omnia prae caeteris apud nos potiori iure sibi vindicat. Et quidem quae enim, quam multa, et quanta hac lingua recludantur, is tantum qui eam didicerit callere potest.

Commentarius

Iam Principio manifestum est textum ab ovo usque ad mala scatere mendis erroribusque. Causam certam huius rei hic minime referre licet, cum sint duae optiones. Ex Rivae sententia, orationem quam nos invenimus in tabulario Popayae, scriba ipsius Tabularii manu quam maxime imperita transcripsit¹⁸⁷. Quod certe evenisse potuit, sed nobis veri similis videtur, ut Demetrius retulit, ipsum Marianum viribus destitutum ob rheumatismum quo ab anno undevigesimo aetatis laborabat, argumentum totius orationis scribae, qui non satis bene polleret Latinitate, dictavisse. Hic autem operae pretium est referre cur simus ad hanc optionem procliviores. In epistula igitur, quam ipse Marianus amico nomine Fernando Caicedo et Camacho scripsit, legi potest:

*Muy tarde ciertamente vengo a contestar tu dulcísima y apreciable carta de tres de noviembre, que me recomendó mucho mi antiguo amigo, y excelentísimo Prelado. Me ha sido imposible hacerme en tanto tiempo, porque mi edad y males consiguientes me redujeron a un estado deplorable, en términos de no poder ni aún rezar el oficio divino*¹⁸⁸.

Genus orationis quam Marianus scripserat non erat inusitatum, insolitum neque inauditum. Pro certo autem habemus numerum orationum huius generis non fuisse exiguum; nam, haud secus quam Ioannis Gregorius De Campo et Martinez orationem huius

¹⁸⁷ Rivas, *El Latín en Colombia*,

¹⁸⁸ García, *Revaluaciones Históricas*, 126.

modi scripsit ut argumenta Emmanuelis Martí in universitatibus Americae Meridionalis refutaret, nonnulli Latinistae Mexicani a parentibus Hispanis creti orationes de rebus ad universitatem pertinentibus scripserunt¹⁸⁹. Quae quidem orationes saepe divisae erant in partes quinque, i.e. petitio patientiae; dein captatio benevolentiae; tertium laus universitatis, urbis et principum regionis; postea res de qua disputatur et quae saepe ad institutionem discipulorum pertinet; denique exhortatio studiorum¹⁹⁰. Orationi ergo quam Marianus scripit, ut mox videbimus, his orationibus universitariis maxime assimilabatur.

1-17

Ut auctor dixit in orationis prima paragrapho, ei in votis erat opusculum effingere quod pertineat ad usum et necessitatem grammaticae. Ut scopum suum attingat, oratio Mariani exordium cepit a petitione patientiae et captatione benevolentiae quas duas in rem solam miscuit. Mos satis usitatus et disseminatus inter auctores in America natos fuit simulare sese nihil scire ut postea concinnitate sententiarum et dictorum suorum freti animum legentium ad sese pellicerent. Sic constat fecisse aborigines Latinistas in Mexico quandocumque in animo esset gratiam quamlibet a viro ordinis superioris impetrare¹⁹¹. Eodem modo Marianus prius gratias agit Collegio quam ipse simulet se esse virum minime idoneum ad propositum suum adsequendum. Quare, quo dein facilius sit, potestate et

¹⁸⁹ Laird, "Colonial Spanish America and Brazil," 531-532.

¹⁹⁰ Stuart M. McManus, *Empire of Eloquence: the classical rhetorical tradition in colonial Latin America and the Iberian world* (New York: Cambridge University Press, 2021), 205.

¹⁹¹ Andrew Laird, "Classical Learning and Indigenous Legacies in Sixteenth-Century Mexico," in *Brill's Companion to Classics in the Early Americas*, eds. Maya Feile Tomes, Adam J. Goldwyn, Matthew Duquès, (Leiden: Brill, 2021), 229.

auctoritate Dei fretus, ante iudices se bene gerere, inscitiam suam peritiae iudicum se audientium confert¹⁹².

18-23

Captatione benevolentiae et laudatione Collegi principumque peractis, Marianus quartum locum indicis, i.e. rem de qua disputatur decursu orationis aggreditur et argumentum suum de grammatica narrat. Ex Mariani sententia, grammatica non est aliud nisi ars bene loquendi, scribendi necnon discendi et docendi. Ex ea scientiae omnes exordium capiunt. Sic utilitatem grammaticae non metiri possumus nisi ratione habita magnitudinis rerum quae ab ipsa sustentur. Nam si aedificium scientiarum stat super eam, conicere possumus fundamenta, quae tantam molem sustinere valeant, maximi momenti esse.

24-32

Dein, Marianus videtur argumentum orationis ex grammatica ad sapientiam flectere. Nam ipse sperat se posse ostendere quemadmodum ipsa grammatica originem a sapientia ducat. Mens ergo hominum ab exordio generis humani adeo ambiebat omnia scire ut cupiditatem vestigandi numquam a tergo reliquerimus. Sic ab incunabulis usque ad sepulchrum homines omnes aliquid, ne dicam omnia, volunt discere.

¹⁹² Hac in prima paragrapho, Marianus videtur eundem modum dicendi affectavisse quo Catillina usus est cum socios coniurationis loqueretur. Cf. Sall. Cat. 20.

33-44

Ut consilii sui rationem demonstret, exempla ex antiquitate deducta attulit. Primum loquitur de Solone. Quae ille de sapiente viro retulit hic, inveniri possunt in libro VIII operis Valerii Maximi. Dein de Themistocle, sed ut licet legere apud citationes in paginae marginibus, credimus Marianum mendum fecisse, cum Themistocles e vita emigravisset non 107 annos natus, sed 65. Ad extremum, auctor mentionem facit fabulae, quae apparet apud Philostrati *Vitas Sophistarum*, de Marco Aurelio imperatore. Hic Marcus domum cuiusdam philosophi nomine Sexti petit ut ipse erudiretur ab illo. Omnes fabulae vergunt ad eundem locum, id est, etiam in senectute genus humanum flagrat cupiditate sciendi. Quae quidem cupiditas adeo insatiabilis est ut omne genus hominum quaelibet aequo animo ferant dummodo aliquid scientiae adipisci valeant. Et cum omnes homines aliquid scire velint, satis patet tale desiderium non nisi ab ipsamet natura provenisse. Sic natura sibi vindicat locum super quem iacta sunt fundamenta omnium scientiarum.

Quae scientiae pro vehiculo litteras necnon grammaticam earum habent. Sed antequam pergamus argumenta Mariani enodare, velimus brevi spatio temporis ad locos classicos redire de quibus Marianus in hac paragrapho facit mentionem. Captatione benevolentiae freti, Latinistae Americani animos orationem audientium ad se dirigebant. Oratione autem referta era locis allatis ex operibus auctorum classicorum depromptis et his freti argumenta sua veri similia redderant. Cur ergo hoc fecerint aliquis interroget. Tum temporis auctores classici notiores erant hominibus quam illi sui temporis, quare ii, qui velint consilia sua magis perspicua et facilia intellectu videri, utebantur locis classicis ut rationes animi sui audientibus paterent. Itaque, etiam apud aborigines et indigenas qui aliqua eruditione praediti essent, citationes Caesaris, Quintiliani et Ciceronis nonnumquam

adhibebantur ut res ab auctore in opusculo descriptae manifeste paterent hominibus. Exempli gratia, indigenae Mexicani saepe epistulas locis classicis refertas mittebant regi ut ab ipso gratiam aut auxilium impetrarent, sicut perspicue aspici potest in exemplo infra adhibito in quo auctor Imperatori Carolo quinto epistulam scripsit ut enodaret discrimina inter populos Mexicanos qui ante adventum Hispanorum hanc regionem habitabant. Quo scopum suum facilius attingeret, ipse auctor imitatus est exordium Caesaris operis de Bello Gallico quo Imperatori omnia evidentiora essent:

*Has Indias antiquis in temporibus fuisse divisas in
tres partes nimirum Mexicum, Tlacubam, et Tetzcozum
atque ex consequenti tres dominos seu rectores habuisse qui
dominabantur aliorum populorum circumiacentium*¹⁹³.

56-80

Sic quo facilius depingere possit argumenta sua, auctor scientiarum indicem confecit quas vi intellectus homo percipere potest. Inter eas numerari possunt motus siderum, arcana et terrae et maris, scientia navigandi, medicina et ethica seu mores. At denique adserit eas efficere ut gressus nostri ad Deum dirigantur, vita melior fiat, mens splendeat et compagine societatis firmiter cohaereant. Hic argumentum videtur paulo flecti a proposito quod auctor principio habuisset, i.e. ostendere utilitatem et usum grammaticae. Sed, ut mox videbimus, Marianus demonstrabit grammaticam esse quasi fundamenta et rudimenta, non tantum linguae Latinae aut Hispanicae sed quoque omnium artium.

¹⁹³ Laird, "Colonial Spanish America and Brazil," 531-532.

81-99

Quare ut quis omnia haec ediscat, primum necesse est ut in scholis grammatica erudiatur. Qua quidem scientia adepta aditus ad litteras patebit cuicumque volenti ceteras scientias perdiscere. Quamobrem cui in animo sit grammaticam discere opus erit ut polleat arte recte loquendi, scribendique sine quibus nemo dubitat quin nihil prorsus sit quod aut discere aut docere possimus. Dein Marianus redigit in ordinem quattuor particulas in quas institutio grammaticae tum temporis in scholis dividebatur et eas enodat. Quae quidem particulae, in quas divisa erat grammatica: orthographiam, prosodiam, etymologiam, syntaxin. Marianus, cum arguat grammaticam esse tamquam caput anguli omnium artium, vere loquitur, nam tum pueri non discebant grammaticam linguae Hispanicae, sed Latinam¹⁹⁴. Pueri ergo Hispanice scribere secundum Regulas Latinitatis docebantur. Quare ante pueros grammaticam et scholas artium aggredi oportebat, ut et bene scribendi et loquendi scientiam discerent, quam eis liceret artes maioris momenti ac iura et medicinam adipisci¹⁹⁵. Institutio igitur divisa erat in duas partes, i.e. facultates minores et maiores. Quas quidem Marianus, sicut partes grammaticae quas enumeraverat, rudimenta omnium scientiarum esse credit. Grammatica igitur docebatur tres per annos quorum in primo pueri orthographiam et etymologiam, quae Hispanice unico nomine *morfología* appellabantur, discebant, dein altero anno syntaxin et postremo prosodiam¹⁹⁶. Singulis scholis unus annus dicabatur. Tribus scholis nomen erat grammaticae, prima autem grammaticae infimae, altera mediae et tertia supremae. Nonnumquam autem tribus annis et alius addebatur propter difficultatem morphologiae. Dein pueri discebant rhetoricam ubi exercebant

¹⁹⁴ Rivas, *El Latín en Colombia*, 57-58.

¹⁹⁵ Rivas, *El Latín en Colombia*, 55-56, 60-61.

¹⁹⁶ Rivas, *El Latín en Colombia*, 55.

calamum necnon auctores et soluta et astricta oratione legebant. Sed decursu temporis studia rhetorica contemptui esse coeperunt et iuvenes facultates maiores aggredi sine scientia necessaria inceperunt¹⁹⁷. Facultatibus minoribus peractis, pueri scholas artium seu philosophiae tres per annos aggrediebantur. Illic pueri logica, metaphysica, physica necnon ceteris artibus ac astronomia, cosmologia et geographia erudiebantur. Ad extremum, iuvenes in studium facultatum maiorum incumbabant. In quibus facultatibus studia utriusque iuris, theologiae et medicinae continebantur. Facultates ergo maiores intra breve spatium quattuor aut quinque annorum docebantur¹⁹⁸.

Ante quam iuvenes inirent scholas facultatum maiorum, eis opus erat scholas artium seu philosophiae visitare. Sed, ut liceret eis se bene gerere in scholis artium, oportebat nimirum grammatica pollere. Quare, Marianus minime videtur excessisse fines veritatis, cum dixerit grammaticae esse quasi fundamenta omnium artium quae tum in schola docerentur. Magistri omnia discipulos Latine docebant qui vicissim omnia pugillaribus seu mammotrectis suis Latine scribebant. In Collegiis et universitatibus Latine omnes sermocinabantur, foris Hispanice. Tempore autem labente res alio se vertit et, magna parte virium suarum amissa, lingua Latina adeo deminuta est ut ipsa e aedibus suis Mariano adhuc vivente fere prorsus deturbaretur. Quare, ratione harum rerum habita, Mariano in votis fuit animos concivium suorum oratione sua de necessitate grammaticae excitare ut utilitas rei, ex qua suo quidem iudicio, omnes res studio dignae tum temporis pendebant, manifeste pateret. Adepta enim patriae libertate, nonnulli homines exstiterunt qui ob amorem erga patriam vellent vestigia tyrannidis Hispanicorum finibus prorsus depellere.

¹⁹⁷ Rivas, *El Latín en Colombia*, 59-61.

¹⁹⁸ Rivas, *El Latín en Colombia*, 55.

Itaque, quamvis auctor noster Rei publicae partibus quoque faveret, numquam dubitavit quin studium linguae esset quasi compago omnium artium sine qua ceterae scientiae esse non possent.

100-114

Denique, Marianus excitationem ad studium aggredditur, i.e. novissimam partium in quas divisae sunt nonnullae orationes. Illic ipse auctor commonefacit homines de utilitate grammaticae ut animos eorum ad studium eius pelliciat. Nam ex sua sententia, non potest fieri ut societas hominum diutius maneat nisi vincula eius cohaereant. Et hoc vix fieri potest nisi sint quae compagine eius stabiliant. Studia et scientiae autem de quibus supra mentionem fecimus, fundamenta sane sunt super quibus coetus hominum exstat. At sine grammatica ne haec quidem possunt manere. Nam cum grammatica ars bene scribendi, immo vero bene loquendi, discendi et docendi sit, nihil possumus facere aut discere nisi antea rudimenta grammaticae didicerimus. Quare Marianus non dubitat quin, sine ea, mox peractum esset de societate, immo vero de mundo. Itaque singuli homines unam post aliam omnes regulas de optimo modo scribendi ad se traherent quoad praeceptis gradatim immutatis, studia super quibus societas stat penitus immutarentur et ipsa societas ad funestum exitum corrueret. Marianus adserit grammaticam esse dignam studio cum unica sit quae nos de hoc incommodo vindicare possit. Et quamvis grammatica Latina non sit unica ex qua talem fructum percipere possimus, est tamen sola quae multos per annos doceatur in scholis. Hac de causa ille non dubitat qui illa digna sit ut grammaticis ceterarum linguarum anteponatur. His dictis peractis, Marianus finem orationi imposuit.

CONCLUSIO

Nunc demum et ante quam finem florilegio nostro imponamus, quas res decursu investigationis invenerimus velimus enumerare et iis freti qualis fuerit tum Latinitas in Novo Regno decernere. Exeunte saeculo XVI iam erant qui aliquid Latine in Novo Regno scripserint. Testimonium hac de re perhibent versus et inscriptiones scripta a hominibus qui tum ad hanc regionem Americae Meridianae pervenerunt¹⁹⁹. Hac de causa nobis visum est historiam Latinitatis in ordinem redigere secundum tempus quo singuli auctores sint nati esse opus aggrediendum. Sic, speramus fore ut lectores valeant percipere quid singulis saeculis homines Novi Regni Latine scripserint.

Ioannis Martínez de Ripalda anno 1642 est natus. Opus quod de doctrina Sancti Thomae anno 1702 confecerat non nisi anno 1704 in lucem edidit. Opus illud maximi momenti tum fuit, nam in illo auctor ordinem suum ex accusationibus fratrum Dominicanorum vindicavit et testimonium perhibuit rerum quas discipuli in scholis minoribus et maioribus Universitatum Novi Regni tum docerentur. Materiam, qua usus est ut opus suum scriberet, ille ex mammotrectis quos ipse scripserat ut magister, cum philosophiam et theologiam discipulos doceret, collegit. Quantum ad stilum attinet, Ripalda satis bene scripsit. Non omnes vero sic fecerunt, nam quamvis et magistri et pueri mammotrectos suos confecissent, magistri tamen non semper valebant discipulorum pugillares curare. Quocirca Ripaldae opus maximi momenti est iis qui studere rebus velint quae ad educationem puerorum in Novo Regno attineant.

¹⁹⁹ Rivas, *El Latín en Colombia*, 10-11.

Dein aliquid de vita et operibus Andreae de Sancto Nicolao retulimus. A parentibus nobilibus anno 1617 natus tam doctus fuit ut ordinis Augustinorum excalceatorum iussu Europam peteret. Illic munere fungens mansit et valuit opera sua in lucem Romae edere. Primum *Planctum Passerculi Solitarii* anno 1654 et dein *Proventus Messis Dominicanae* anno 1656 edidit. Andreas, ut vidimus, non fuit solus qui tum aliquid Latine exaraverit, sed fuit inter paucos et fortunatos quibus iter ad Europam facere casu fuit datum. Ut iam dixeramus, ars typographica sero in Columbiam pervenit, quare, quoad scimus, paene nemo tum fuit qui litteris penitus a conclavibus universitatum aversis operam daret. *Proventus Messis Dominicanae* rationem Rerum Gestarum ordinis sui reddidit et in paginis huius operis quid Europaei saeculo XVI procedente de paganis cogitaverint legere licet. Inter hos paganos quos Andreas in opere suo visitavit, aborigines Novi Regni necnon ii Insulis Philippinis nati eminent.

Denique in tertio opere quod florilegio addidimus nobis tractanda fuit oratio quam Marianus de Campo Larraondus et Valentia anno incerto scripserat. Ille natus est exeunte anno 1772 et, haud aliter quam illud Ripaldae, opera eius testimonium de institutione linguae Latinae in scholis perhibent. Sed tum mores iam penitus fuerant immutati, nam homines non tantum a Hispania se in libertatem vindicare volebant, immo vero paene omnia quae Europam redolerent ab educatione puerorum prorsus semovere eis in animo erat. Marianus partibus Rei Publicae favit sed quoad vixit numquam Latinitatem colere destitit. Quin immo semper conatus est in suis scriptis excitare hominum animos ut ipsi linguarum classicarum studium sua sponte aggredierentur. Sic paene omnia quae Latine aut Hispanice de lingua Latina exaravit ad defensionem eius in aulis scholarum attinet.

Principio nobis in animo erat quattuor auctorum opera tractare, sed inopia temporis coacti nos oportuit eorum novissimum foras pellere. Loquimur de Daniel Restrepo. Daniel fuit sacerdos Iesuita anno 1871 natus qui originem a parentibus nobilibus duxit. De illo pauca dicemus. Linguae Latinae peritus fuit qui nonnulla volumina de vitis hominum praeclarorum Societatis Iesu oratione soluta confecit. Praeterea carmina nonnulla finxit quorum pleraque paucis exceptis nondum in lucem sunt edita. Ex operibus quae Latine ipse confecerat, nos commentarium tractare statueramus quem ipse Daniel de carmine scripserat quod Michael Antonius Carus olim Latine exaraverat. Nomen versionis Latinae *Cantio Hispanica Celeberrima ad Ruinas Italicae* fuit. Hoc opere freti sperabamus demonstrare adhuc exstitisse in Columbia viros doctos qui, quamvis lingua Latina iam paene deiecta esset ab aulis, semet ipsi erudirent. Praeter hoc quoque volebamus hic mentionem facere de hominibus qui duce Antonio Caro carmina hodierna Latine verterint.

Proh dolor autem nobis innotuit, dum thesin scriberemus, paene omnes auctores Novi Regni, qui aliquid Latine scripsissent et de quibus notitia quaedam extaret, originem ab Hispania duxisse. Nam, ut in capite tertio dixeramus, nonnullae leges in Novo Regno hominibus coloratis, praesertim Afris et mixtis, obstabant quominus in sinu scholarum acciperentur. Fuere Aborigines satis fortunati quibus Latinitatem discere licuit, sed quales Latinistae fuerint nondum pro certo habemus, nam praeter pauca testimonia quae viri Historici nobis retulerunt de scholis ubi aborigines tum erudiebantur, non sunt multa documenta quae testimonium hac de re perhibeant. Contra documenta scripta ab aboriginibus Mexicanis adhuc extant.

Nihilominus aboriginibus difficultates nonnullae fuere. Nam Creoli discrimine saepe laborabant et non semper urbane erga eos se gesserunt. Hoc autem non tantum in Novo Regno accidit, sed quoque in aliis regionibus Americae Meridianaе. Exempli gratia in opere Ildephonsi Brizeñi nomine *Celebriores Controversiae*, censor operis, i.e. Petrus Ortega y Sotomayor magna cum ironia in Hispanos Iberos, qui Peruanos inscitiae accusabant, tum scripsit:

Sed ecce ab occidente, Solis quae sepulchro inversa oritur, & praepostera lux; ab Indis aliquid boni exeat? Aurum, argentum, margaritae, ac thesaurorum ingentes classes, esto inde proveniant, ingenia, Doctores quis annuat? Sat sit gentem in crasso solo, & duris editam sideribus, ad rationem, hominumque atomam speciem & consortium admisisse. Gratulor in primis vobis Peruanis ad rationem admissis, nescio an ad usum. Gratias quoque iis, qui gratis admittitis; quod non estis soli homines, quodque nobis etiam cor; et a natura, & conditione vindicatis brutorum... Homines itaque sumus, eiusdem naturae, & conditionis, licet alterius orbis ubi Claudiano carmine lucem videas:

Purius, americanosque magis mirabere campos,

Cultoresque pios, istic praetiosior aetas,

Aurea progenies habitat.

Adest in exemplum & exemplar Briceño noster, cui nulla genii, ingeniive elegantia, nullum a natura negatum est ornamentum, imo congestum, quidquid veram hominibus gloriam solet conciliare... Age ergo

*mi Briceño, subsilire in coelum etiam ex angulo licet; exurge modo, & te quoque dignum finge Deo*²⁰⁰.

Quod fragmentum Sotomayor scripsit ad disputationem de Universitatibus in America pertinere videtur, nam ille, ut vidimus, Hispanos Hiberos adloquitur et eos inhumanitatis erga Hispanos Americanos, praesertim Peruanos accusat. Nam nonnulli Hiberi, haud secus quam Emmanuel Martí in epistula eius, Hispanos doctos in America natos parvi pendebant necnon Americam esse quasi solitudinem asserebant ex qua nihil unquam boni exoriri posset. Sed quorsum hoc tendit? Ut paulo plus in eodem opere aspici potest, Sotomayor fecit comparationem inter Creolos et aborigines quos “Indos” appellat ut, cum de Peruanis loqueretur, perspicuum esset se tantum eos significare qui originem ab Hispania ducerent:

Taceo quod etiam si in Indis nati, Indi non sumus, nec Indis aliquo sanguinis iure permixti, sed utroque parente pure Hispano, ab Indorum detectoribus, conquistatoribus, domitoribus, excultoribus, & expolitoribus; ab Angelis Dei illis, apud Isaiam, velocibus, in has ditissimas, & abditissimas plagas diuino afflatu missis, ad mansuefaciendas earum gentes, a diris & efferatis moribus ad humanitatem traducendas, & utraque fide, omnique ciuili cultu permulcendas.

²⁰⁰ Petrus de Ortega Sotomayor, Censio operis ad *Prima Pars Celebriorum Controversiarum In Primum Sententiarum Ioannis Scoti Doctoris subtilis Theologorum facile Principis. Excitatis saepe e re Theologica Metaphysicis dissertationibus, ex quibus adeo absoluta Metaphysices exaratio conflatur, ut vice perpetui commentarii. Apud Scotistarum Scholam haberi queat; cum proprio Indice Metaphysico*, ab F. Ildephonso Brizeño (Matriti: apud Antonium Bellerum, 1642).

At saepe pro conditione coeli & soli frugum semina degenerant; praesertim, quod coelum & solum istud, stupidos, hebetes, brutos, totque, propter mores, historiis infames, accolas tulit illos primos. Loci temperiem non abnuo multum referre ad ingenia, & mores²⁰¹.

Comparatione inter duos hominum ordines facta, manifeste patet, ex auctoris sententia, Hispanos Americanos esse homines urbanos non dissimiles Hiberorum, dum aborigines quasi bestias erudiendas esse. Quod quidem testimonium non attulimus ut Hiberos hodiernos crudelitatis erga coloratos accusaremus sed ut omnibus paterent praeiudicia ob quae homines colorati ex collegiis tum saepe excludebantur.

Hac de causa hic nobis iterum videtur mentionem facere tabulariorum et bibliothecarum quae propagata per totam regionem Columbiae innumeros mammotrectos in sinu foveant. Scimus pleraque opera saeculis et XVII et XVIII ad scholasticam pertinere sed nihil obstat quominus inter omnia haec inveniri possint pugillares ad mores virorum huius temporis pertinentes aut, quod mirandum fuerit, a homine quidem colorato scriptos. Sed quid de argumentis Emmanuelis Martí? Iam dixeramus Martí homines Americanos imperitiae accusavisse necnon Universitates in America exstructas solitudinem in epistula sua appellavisse. Fretus tribus argumentis, Martí accusationes has finxit. Quae quidem argumenta ad Indos, ad magistros, ad codices et ad universitates pertinent. Ut thesin conficiamus, videamus qualia sint talia argumenta, nam ex nostra sententia, nos iam satis

²⁰¹ Sotomaior, censio operis.

demonstravimus Bibliothecas et Universitates in Columbia semper fuisse codicibus refertas neque umquam homines doctos illic defuisse.

Sic Martí dubitat utrum apud Indos homines sint qui aut velint discere aut possint discipulos Latinitate imbuere. Sed, ut vidimus in opere Alphonsi, per “Indos” Hiberi omnes intra fines Americae natos significabant, Hispanis Americanis vero “Indus” tantum ad aborigines pertinebat. Creoli enim scientes et aegre ferentes Hiberos hoc verbo, i.e. “Indus” iniuriae instar contra se uti, distinctionem, ut patet in censio Sotomaioris, faciebant inter se et aborigines ut digniores apparerent fratribus Hiberis. Sed his in descriptionibus quas faciebant ipsi Creoli non se abstinebant, ut ipse semet vindicarent, quominus aboriginibus iniurias afferrent. Conabimur duo argumenta i.e. et Martí et Creolorum una discutere.

Procedente ergo opusculo nostro, trium auctorum opera hic demonstravimus necnon, ut pateret Novum Regnum saeculis XVI et XVIII doctis Latinitatis numquam caruisse, quales tum essent mores hominum in collegiis et universitatibus. Plerique, ne dicam omnes, qui tum Latine scripserunt originem a Hispanis ducebant et pauci colorati fuere qui possent studia in collegiis et universitatibus aggredi. Sed secundum testimonium virorum Historicorum sicut Rivae, quamquam pauci, quidam et aborigines et mixti fuere qui Latinitatem colerent. Quantum ad Novum Regnum attinet, scimus fuisse paucos indigenas qui satis Latinitatis didicerint ut possent Terentii comoediarum partes scite agere. Necnon procul a proposito est hic afferre testimonium Andreae Laird de aboriginibus Mexici dicentis eos tam bonos latinistas evasisse ut possent viros Europeos prave Latine loquentes emendare necnon se cum grammaticis Hiberis comparare²⁰².

²⁰² Andrew Laird, “Classical Learning and Indigenous Legacies,” 213, 224.

De universitatibus possumus dicere, ut perspicue dictum est in primo capite thesis, eas semper bonis Latinitatis magistris praeditas esse. Ex his nonnulli ad Novum Regnum venerunt ut perficerent studia quae olim in Europa coeperant. Ripalda fuit vir prorsus dignus ut numeraretur inter hos viros, nam peractis studiis diu in Novo Regno mansit et non ante rediit in Hispaniam quam innumeros discipulos Creolos multos per annos in Universitate Xaveriana docuit. Lique ergo conicere eum non fuisse solum virum huius modi qui universitates et collegia Novi Regni sic locupletaret.

Sed, quamvis adsentiri Martí argumentis minime queamus, nobis fatendum est Universitates Novi Regni non habuisse magnam copiam editionum auctorum probatorum. Quare et magistri et discipuli nonnumquam necessariis in scholis carebant. Ut has difficultates vincerent magistri mammothrectos quos dein discipulis dictabant, scribebant. Methodus autem haec non idonea erat, nam hi mammothrecti quos et magistri et discipuli conficiebant, quamquam necessarii, nonnumquam referti mendis erant quae cum ad Latinitatem tum ad argumenta pertinebant. Quod quidem damnum universitates non valuerunt resarcire quoad ars typographica anno 1738 ad Columbianam pervenit. At, in comparatione nationum sicut Mexici ubi haec ars anno 1530 apparuit, adventus eius ad Columbianam nimis serus fuit²⁰³. Nihilominus, codices in bibliothecis publicis numquam defuerunt, quare, quamquam universitates non semper discipulis editiones castigatas suppeditare poterant, discipuli assidue et constanter conclavia universitatum visitabant ut illic volverent et evolverent auctorum probatorum codices.

²⁰³ Laird, "Colonial Spanish America and Brazil," 527.

Sic nobis satis compertum est in Columbia omnia necessaria semper fuisse ut iuvenes discerent Latinitatem, nam universitatibus illic exstructis numquam defuit copia magistrorum neque bibliothecis codicum. Quantum ad ingenia hominum attinet, conici potest ex innumeris mammothectis, qui in scriniis et pegmatibus tabulariorum manent, semper fuisse homines qui Latinitati darent operam. Quin immo etiam aborigines evasisse optimos cultores linguae Latinae quandocumque eis permissum esset in studium eius incumbere.

BIBLIOGRAPHIA

- “Padre Daniel Restrepo S.J.”. *Thesaurus*, tomo XVII (1962): 212-213.
- Bolton, Herbert Eugene. “The Mission as a Frontier Institution in the Spanish-American Colonies”. *The American Historical Review*, Vol. 23, n.º 1 (1917): 42-61.
- Bond, Samuel. *Poesías Latinas Seguidas de sus Cartas a Miguel Antonio Caro*. Bogotá: Editorial Voluntad, 1974.
- Briceño Jáuregui, Manuel. “La Poesía en Latín en Colombia”. *Humanistica Lovaniensia*, Vol. 24 (1975): 288-326.
- Buitrago Trujillo, Rubén. Introducción to *Passerculi Solitarii Planctus*, by Fray Andrés de San Nicolás, XIII-CVI. Bogotá: Instituto Caro y Cuervo, 1988.
- Caesar. *Bellum Gallicum*. New York: Oxford University Press, 1900.
- Campo del Pozo, Fernando. “Agustín B. Caicedo y Diego F. Padilla defensores de la inculturación y la ilustración en Nueva Granada”. *Archivo Agustiniiano*, Vol. 85, n.º 203 (2001): 231-264.
- Campo del Pozo, Fernando. “Los Agustinos en Colombia. Bosquejo histórico”. *Archivo Agustiniiano (Valladolid)*, n.º 70 (1986): 137-193.
- Campo del Pozo, Fernando. “Textos de tres agustinos en la Universidad de San Nicolás de Bari, en Santafé de Bogotá, durante el siglo XVIII: Francisco de San José, Gregorio Agustín Salgado y Diego Francisco Padilla”. *Archivo Agustiniiano*, Vol. 80, n.º 198 (1996): 53-75.
- Caro, Miguel Antonio. *Estudios Virgilianos: Segunda Serie*. Bogotá: Editorial Voluntad, 1986.
- Caro, Miguel Antonio. *Estudios Virgilianos: Tercera Serie*. Bogotá: Editorial Voluntad, 1988.

- Caro, Miguel Antonio. *La canción a las ruinas de Itálica del Licenciado Rodrigo Caro: con Introducción, Versión Latina y Notas Por Miguel Antonio Caro Publicadas por José Manuel Rivas Sacconi*. Bogotá: Editorial Voluntad, 1947.
- Caro, Miguel Antonio. *Latinae Interpretationes sive Carmina e Poetis Praecipue Hispanis, Tum Italis, Gallis, Anglis, Latine Reddita*. Bogotá: Editorial Voluntad, 1951.
- Caro, Miguel Antonio. *Poesías Latinas*. Bogotá: Editorial Voluntad, 1951.
- Cicero. *Laelius: De Amicitia*. Cambridge: At the University Press, 1889
- Cicero. *Pro Archia Poeta*. Cambridge: At the University Press, 1878.
- Costales Piedad, and Alfredo Costales. *Los Agustinos Pedagogos y Misioneros del Pueblo (1573-1869)*. Quito: Producciones digitales Abya-Yala, 2003.
- De Ortega Sotomaior, Petrus Censio operis ad *Prima Pars Celebriorum Controversiarum In Primum Sententiarum Ioannis Scoti Doctoris subtilis Theologorum facile Principis. Excitatis saepe e re Theologica Metaphysicis dissertationibus, ex quibus adeo absoluta Metaphysices exaratio conflatur, ut vice perpetui commentatii. Apud Scotistarum Scholam haberi queat; cum proprio Indice Metaphysico*, ab F. Ildephonso Brizeño. Matriti: apud Antonium Bellerum, 1642.
- De San Nicolás, Fray Andrés. *Canto a Magdalena de Nangasaqui*, edition and translation by Manuel Briceño Jáuregui. *Thesavrus* 42, n.º 2 (2023): 413–439.
- Del Campo Larraondo y Valencia, Mariano. “Memoria sobre la importancia del estudio de la lengua latina”, *Santafé y Bogotá* 3, n.º 16 (1924): 201-209.
- Del Campo y Larraondo, Mariano. *Biografía del Doctor Manuel Mariano del Campo Larraondo y Valencia, Presbítero, escrita por el Mismo En versos Endecasílabos Pareados: con notas. Y Dedicada a su muy querida, discreta y virtuosa sobrina, la*

- Señora Matilde Pombo de Arboleda*. Popayán: Imp. de la Univ. por Guillermo Figueroa, 1847.
- Del Rey Fajardo, José. “Los retos de la Facultad de Teología de la Universidad Javeriana Colonial”. *Archivo Teológico Granadino*, n.º 83 (2020): 7-56.
- Enrique Ruiz, Guido Eugenio. *Caucanos en la independencia*. New York: Ediciones LAVP, 2019.
- Fabo del Corazón de María , Pedro. *Historia de la Provincia de Nuestra Señora de la Candelaria*. 2 vols. Madrid: Imprenta Del Asilo de Huérfanos Del S.C. de Jesús, 1914.
- Gallego García, Raquel. “La Expulsión de los Jesuitas entre 1769 y 1770 a partir de las correspondencias de José Nicolás de Azara, Tomás Azpuru y el Barón de Saint-Odile”. *Argensola*, n.º 129 (2019): 127-145.
- Hernández Guerrero, María José. «Presencia y utilización de la traducción en la prensa española». *Meta* 56, n.º 1 (2011): 101-18.
- Hernández, Héctor H. *El Latín Enseñado como Lengua Viva*. Bogotá: La librería y casa editorial del Apostolado de la prensa de Colombia, 1916.
- IJsewijn, Jozef. *Supplementa Humanistica Lovaniensia V. Companion to Neo-Latin Studies: Part I History and Difussion of Neo-Latin Literature. Second entirely rewritten edition*. Leuven: Peeters Press et Leuven University Press, 1990.
- Knight, S., and Stefan Tilg, eds. *The Oxford Handbook of Neo-Latin*. New York: Oxford University Press, 2015.
- Knight, Sarah, and Stefan Tilg, eds. *The Oxford Handbook of Neo-Latin*. New York: Oxford University Press, 2015.

- Laird, Andrew. "33 Colonial Spanish America and Brazil." In *The Oxford Handbook of Neo-Latin*, edited by Sarah Knight, and Stefan Tilg, 525-540. New York: Oxford University Press, 2015.
- Laird, Andrew. "Classical Learning and Indigenous Legacies in Sixteenth-Century Mexico." In *Brill's Companion to Classics in the Early Americas*, edited by Maya Feile Tomes, Adam J. Goldwyn, Matthew Duquès, 209-241. Leiden: Brill, 2021.
- Laurentii Vallae de Linguae Latinae ELEGANTIA LIBRI SEX, Una cum LIBELLO DE Reciprocatione sui & suus, CUM Optimis Editionibus summa cura & diligentia recogniti & collati. CANTABRIAE: Apud EDUARDUM HALL. *MDC LXXXVIII*.
- Luper, David A. "Roman in Spain and Britains as Models and Anti-Models for New World Encounters." In *Brill's Companion to Classics in the Early Americas*, edited by Maya Feile Tomes, Adam J. Goldwyn, Matthew Duquès, 242-270. Leiden: Brill, 2021.
- Manning, Patricia W. *An Overview of the Pre-suppression Society of Jesus in Spain*. Leiden: Brill, 2020
- Margenat Peralta, Josep María. "El Sistema Educativo de los Primeros Jesuitas". *Arbor*, Vol. 192-782 (2016): a356.
- Marquínez Argote, Germán. "El Maestro Neogranadino Juan Martínez de Ripalda (1641-1707)". *Cuadernos Salmantinos de Filosofía* n.º 28, (2001): 5-64.
- McManus, Stuart M. *Empire of Eloquence: the classical rhetorical tradition in colonial Latin America and the Iberian world*. New York: Cambridge University Press, 2021.

- McManus, Stuart M. *Empire of Eloquence: the classical rhetorical tradition in colonial Latin America and the Iberian world*. New York: Cambridge University Press, 2021.
- McManus, Stuart M., “The Bibliotheca Mexicana Controversy and Creole Patriotism in Early Modern Mexico,” *Hispanic American Historical Review* 98, n.º 1 (2018): 1–41.
- Mesa, Carlos Eduardo, C.M.F. “El P. Daniel Restrepo, S. J.” en *Notas Y Preliminares - Universidad de Salamanca*.
- O’Malley, John W. *Saints or Devils Incarnate? Studies in Jesuit History*. Leiden: Brill, 2013.
- O’Malley, John W. *Saints or Devils Incarnate? Studies in Jesuit History*. Leiden – Boston: Brill, 2013.
- Osorio Romero, Ignacio. “La Retórica en Nueva España”. *Center for Latin American and Caribbean Studies*, Vol. 8, n.º 22 (1983): 65-86.
- Pacheco, Juan Manuel, S.J. *Los Jesuitas en Colombia: Tomo II (1654-1696)*. Bogotá, D.E.
- Pacheco, Juan Manuel, S.J. *Los Jesuitas en Colombia: Tomo III (1692-1767)*. Bogotá, D.E.
- Pacheco, Juan Manuel. *Los Jesuitas en Colombia: Tomo III (1692-1767)*. Bogotá, D.E.: Editorial Pontificia Universidad Javeriana, 1989).
- Pérez, Joseph. “Los Jesuitas en el Paraguay”. *Anuario de Estudios Atlánticos*, n.º 55 (2009): 143-158.
- Pérez, Rafaél. *La compañía de Jesús en Colombia y Centro-América. Después de su restauración por el P. Rafael Pérez Religioso de la Misma Compañía. Parte Primera. Desde el llamamiento de los PP. de la Compañía de Jesús á la Nueva*

Granada en 1842, hasta su expulsión y dispersión en 1850. Valladolid: Imp., Lib., Heliografía y Taller de Grabados de Luis N. de gaviria, Angustias, 1 y San Blas, 7, 1896.

Prouentus messis dominicae Fratrum Excalceatorum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini. Congregationis Hispaniae labore perceptus. AD SANCTISSIMUM DN ALEXANDRVM VII. PER P. ANDREAM DE SANCTO NICOLAO eiusdem Congregationis Excalceatorum alumnum.

Quesada, Vicente G. *La Vida Intelectual en La America Española Durante los Siglos XVI, XVII y XVIII.* Buenos Aires: Arnoldo Moen y Hermano, 1910.

Restrepo, Daniel, S.J. “Michaelis Antonii Cari Poematis “A las Ruinas de Itálica” Versio” *Thesaurus*, Tomo IV, n.º 1 (1948): 156-163.

Restrepo, Daniel. *La Compañía de Jesús en Colombia.* Bogotá: Imprenta del Corazón de Jesús, 1940.

Restrepo, Daniel. *La Compañía de Jesús en Colombia. Compendio Historial y Galería de Ilustres Varones.* Bogotá: Imprenta del Croazón de Jesús, 1940.

Rivas Sacconi, José Manuel. “Tratados didácticos de las universidades novogranatenses”. *Thesaurus: boletín del Instituto Caro y Cuervo*, Tomo II, n.º 3 (1946): 460-484.

Rivas Sacconi, Jose Manuel. *El Latin en Colombia: Bosquejo Histórico del Humanismo Colombiano.* Bogotá: Instituto Colombiano de Cultura, 1977.

Rivas Sacconi, José Manuel. *El Latin en Colombia: Bosquejo Histórico del Humanismo Colombiano.* Bogotá: Instituto Colombiano de Cultura, 1977.

Salazar, Fray José Abel. ORSA. “Fray Andrés de San Nicolás: Datos Complementarios para su Biografía”. *Thesavrvs* 10, n.º 1-3 (2023): 137-146.

- Salazar, Fray José Abel. ORSA. “Hallazgo de un manuscrito de fray Andrés de San Nicolás”. *Thesaurus* 14, n.º 1-3 (2023): 251–252.
- Sánchez, Cristian Mesa “Método de Aprendizaje de la Lengua Latina en los Primeros Impresos Devocionales Neogranadinos” M.A. Thesis. Universidad de los Andes, 2021.
- Sandoval Bravo, Julián Eduardo. “Modernidades Coloniales: la obra de Juan Martínez de Ripalda (1641-1707) como respuesta Jesuita en la controversia universitaria Neogranadina del Siglo XVII”. *Universitas Philosophica* 32, n.º 65 (2015): 38-80.
- Sepúlveda, Juan Ginés de. *Tratado sobre las Causas de la Guerra contra los Indios*. México D.F.: Fonde Cultura Económica, 1941.
- Soto Posada, Gonzalo. “Latín y Cultura en Colombia: rastreo a través de la lengua latina de la presencia de la cultura española en la historia colombiana”. *Revista Histórica y Sociedad*, n.º 12 (2006): 133-159.
- Tibesar, Antonine. “The Franciscan Doctrinero versus the Franciscan Misionero in Seventeenth-Century Peru”. *The Americas*, Vol. 14, n.º 2 (1957): 115-124.
- Tomes, Maya Feile, Adam J. Goldwyn and Matthew Duquès, eds. *Brill’s Companion to Classics in the Early Americas*. Leiden: Brill, 2021.
- Vasques, Demetrio García. *Revaluaciones Históricas para la ciudad de Santiago de Cali*. Cali: Palau, Velazquez & Cia., Editores, 1924.
- Vergara y Vergara, José María. *Historia de la literatura en la Nueva Granada: desde la conquista hasta la independencia (1538-1820)*. Bogotá: Librería Americana, 1905.

VITA

Stephanus Arango Casas natus est anno 1991 Metellini. Primum baccalaureatu ornatus est de arte Hispanice, Francogallice et Anglice vertendi apud Universitatem studiorum Antioquiae; dein baccalaureatum Philosophiae in Universitate studiorum Pontificia Bolivariana est adeptus. Multos per annos discipulos Universitatis studiorum Antioquiae linguam Anglicam docuit. Pro dissertatiuncula ad baccalaureatum philosophiae accipiendum primum librum *De Gubernatione Dei* a Salviano scriptum vertit et dein de illo commentarium scripsit. Diplomate autem gradus magistralis in litteris quae classicae vocitantur apud Universitatem studiorum Kentukianam anno 2024 honestatur.

Esteban Arango Casas was born in 1991 in Medellín. He earned a Bachelor's of Arts in translation English, French Spanish from *La Universidad de Antioquia* (UdeA), then he earned another BA in philosophy from *La Universidad Pontificia Bolivariana* (UPB). He worked as an English teacher at UdeA for many years. For his UPB thesis, he translated the first book from Salvian's *De Gubernatione Dei* and wrote a commentary about it. In 2024, Esteban earns an M.A. degree in Classics at the University of Kentucky.